



MARCI ZUERII

BOXHORNII

ORATIONES,

Varii Argumenti.

Series singularum & argumentum statim in ipso aditu leguntur.





AMSTELODAMI,

Ex Officina

JOANNIS JANSONII.

CIϽ IϽ C LII.



Lectori.

UAS hic videa, Amice lector, uno volumine conjunctas orationes, editasque, non tam nostro judicio dedimus, quā desideriis aliorum. Neque enim tanti illæ nobis esse videbantur. Et versantur in omnium manibus clarissimorum ætatis nostræ hominum ea in hoc scripturæ genere monumenta, a quorum elegantia ac gravitate hæc nostra, ut ex tempore fere ac prope sine cura scripta, abesse ego scio quam longissime.

ſime. Itaque mihi hæc exhibenti nunc tibi ignoſce; qui aliquamdiu aliorum auctoritati obluctatus, tandem eam ſequi neceſſe habui. Errata typographica, quæ & gravia ſatis & multa eſſe deprehendi, me ab urbe abſente irrepſere. Nonnulla eorum notata ſunt. Reliqua tu corrige, & VALE.

Ora-

SERIES
ORATIONUM.
ET
ARGUMENTA.

I. Ad Henricam Mariam, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam &c. habita Academiæ nomine.

II. In Nuptias Guilielmi, Principis Arausionensis, & Mariæ, Caroli, Magnæ Britanniæ Regis, filiæ primogenitæ.

III. De Classe Hispanorum profligatâ A°. cIↄ Iↄ c xxxix.

IV. Ad Belgas, Hispano adhuc parentes, post Sassam Gandavensem a Fœderatis expugnatam.

V. De Belgarum Pace.

VI. In Obitum Constantini Alexandri, Principis Ostrogiæ, & Ducis Saslaviæ, &c.

VII.



NOBILISSIMIS

ACADEMIÆ LEIDENSIS BATAVÆ

CURATORIBUS,

AMELIO a BOUCHORST, WIMMENVMI, ETC. TOPARCHÆ, ORDINIS EQVESTRIS VIRO, RHENOLANDIÆ, AGGERVMQ. EIVS PRÆFECTO, GENERALIVM FOED. BELGII ORDINVM SENATVS ASSESSORI:

GERARDO SCHAEP, AMSTELODAMENSIVM RP. EXCONSVLI, FOED. BELGII ORDD. A CONSILIIS, EXLEGATO;

CORNELIO a BEVEREN, STREVELSHOECKIÆ, WESTISELMONDÆ, ETC. TOPARCHÆ, REIP. DORDRECHTANÆ EXCONSVLI, ET FOED. BELGII ORDINVM EXLEGATO.

EORUNDEMQUE COLLEGIS,

VIRIS AMPLISSIMIS,

NICOLAO VANDER MEER,
JOANNI VANDER MAERSCHE,
JACOBO VANDEN BERGH,
CORNELIO VAN BUYTEVEST,

REIP. LEIDENSIS
COSS.

EJUSDEMQUE SYNDICO,
VIRO PRUDENTISSIMO,

JOANNI A WEVELICHOVEN,
JC.

ORATIONES HAS

L. M. Q.

S. F.

MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

MARCI

MARCI ZUERII
BOXHORNII
ORATIONES

MARCI ZVERII BOXHORNII

ORATIO
PRIMA,

Ad

SERENISSIMAM
HENRICAM MARIAM,
Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam, Vrbem Leidensem, ac in eâ Academiam subeuntem.



I quos supremo rerum fastigio divina bonitas imposuit, Augusta, omnium animis, quovis loco, repræsententur, & judicia gentium, sociarum inprimis, haud aliter ac solium domi & ipsam imperii sui sedem, majestate aut beneficiorum memoria semper inhabitent, non jam nuper ad hanc Rempubl. aut hoc primum die ad hanc urbem digressam Te adoramus. qui cum semper alias, ob antiqui nec

unquam fracti fœderis necessitudinem, totque ingentia majorum tuorum in nos merita, cum votis rebusque nostris aucta indies & adulta, tum inprimis regalis tori tui fæcunditatem, partim & maximè jam nostram, obstricti Tibi, sceptra tua eo jampridem cultu prosequimur, quo, tuâ ac imperii tui tot jam annos inconcussâ pace & æternitate cœlo commendatis, nec exspectari à nobis major potest, nec à quoquam sanctior offerri. At vero, cum post castrenses meditationes & hujus populi arma ac disciplinam in hostico per hos dies spectata, ad revisendam imperii nostri domesticam pacem, & materna vestigia repetenda, quibus, sicut tuis, nulla unquàm hic impressa sunt augustiora, deflectere iterum dignata sis, novis officiis opus est, Augusta. In quorum anxiâ meditatione dum sumus, quibusvis ex veterum aut nostræ ætatis ingenio usuve exquisitis, & , ut inferioribus tantâ magnitudine tua, rejectis; ad unum illud tam necessariæ

quam

quam simplicis & ingenuæ confessionis refugimus; quod multum sollicitudinis aut potius inexplicabilis curæ injiciat nobis, vel hoc ipsum modo Majestati tuæ debere. Nullam enim prope hanc pompam interpretando æstimare, non jam in nostrâ, sed clementissimi tui judicii potestate est; cujus iccirco gratiam, ne quid jam desit nobis, imploramus. Neque interim portæ Tibi hic magis & claustra, quam animi, aperiuntur. Et ad optatissimi jucundissimique adventus tui famam effusa hæc populi multitudo, & sedibus suis propemodum urbs emota, viæ tuæ forsan sufflamen, nostri tamen consensus & in te fidei est argumentum. In qua, licet in ipso hic pacis gremio ac regno, accincti tot jam cives & armati, totidem Majestatis tuæ custodes, agnoscunt insuper, &, non aliter ac patriam & libertatem, tueri possunt tui magnitudinem benificii. quæ serenissimam sobolem tuam, illam tot Regum sanguinem, Nassoviorumque domus totiusque

Reipub. ſupremam nunc ſpem ac munimentum, donas nobis, &, ut feliciſſimum ſydus, populis ipſa jam oſtentas. Equidem cum omnes ſic obſtrinxeris Tibi, cum in amore in nos tuo, in ſocietate gentis tuæ ac fide, in ipſo conſpectu tuo, ſumma omnia repoſita eſſe intelligamus, quid à nobis magis alienum foret, quam ſi urbes totæ ante ora tua ſe non offerrent, & exercitu quodam civium Majeſtatem tuam, velut properè nimis elapſuram, non obſiderent, & regalem currum tuum non pauliſper impedirent? Ac, ſi tua interſit ſcire, ſicut ſanè intereſt plurimum, qui iſti ſint, quorum officia Majeſtati tuæ, tuoque ſanguini offeruntur, ſpectas, &, ſi merentur fidem, qui ſentiunt majora, quam loquuntur, agnoſcis hic tuos, qui cum Rhenum iſtum innocentum ſanguine Tagus inquinaret, pleriſque deſperantibus bene ſperare auſi de exſtinctâ propemodum libertate, cum potentiſſimum hoſtem mœnibus excluderent, nec interim

terim arcere possent famem inusitatam, ipsa urbis viscera tum depascentem, actis constantiâ in fugam hostibus, omnis ævi pulcherrimum facinus edidere. Quæ in laudem nostram jam non adferimus, cujusmodi orationem tua sibi soli nunc vendicat Majestas, sed ut constantiæ fidem faciamus. Progredere tamen, sed lento, & subinde impedito gradu, Augusta. Patere, ut eorum oculi satientur, quorum animos implesti; si modo privatorum ora sustinere queant illum serenissimi vultus tui fulgorem; aut eorum satietas esse possit, quæ quo inspecta diutius, tanto augustiora offeruntur. Hic tamen, in hac Rheni nostri ripa, substrata nunc, &, velut sensu aliquo Majestatis tuæ & hujus desiderii nostri tacta, supplice Tibi, paululum detineri Te patieris, Augusta; in hac æde, si quidem alia spectas, sublimitate tua longe inferiore; sin vero arcana sacra & ipsa penetralia loci, si hospitium Famæ, si Musarum regnum, nunc famulantium Tibi, si domici-

micilium æternitatis, si denique soli Majestatis tuæ sanctissimæ venerationi, velut numinis, nunc intentum, Palatiis Regum, & quibusvis templis, quæ & Reges subeunt, non minore. Assurgimus nos quidem ad illos iisdem ante tot sæcula Musis habitatos Oxoniæ tuæ & Cantabrigiæ colles; sed & hic docent, ac discunt & hinc etiam ad Te redeunt tui; & majorum tuorum augustissima exempla, antiqua cum Græcis & Romanis, recentia cum antiquis, sed ut majora, contenduntur. Tua etiam, clementiæ & civilitatis cumprimis, quâ tanto altius se Principes extollunt, quanto propius descendunt ad vota privatorum, posthac etiam, quod unum possumus, memoriæ hominum & imitationi hic edituri sumus. Quod si vero nec petere id nobis liceat, nec sperare, certe pietati nostræ ita fave, ut in ipso transitu conjectis saltim huc oculis, si aut huc convertendi sint quos ipsa habitat Majestàs, aut non animi hic potius usus sit, omnium

ja-

jucundiſſimo ſpectaculo Te perfundas. Si enim more majorum receptum ſit, rara quæque & inviſitata adſpectui Principum offerre, & ad Amſtelæ, velut divitis cujuſdam Tagi, ripam, inter oblectationes tuas alieni orbis ſpectatæ tot opes fuerint, non minora hic agnoſce, Auguſta: Parnaſſum Græcię & Pindum, tua ſuperbum Majeſtate, tuiſque nunc laudibus reſonantem; Hieroſolymas non exciſas, ſurgentes Athenas, denique urbium dominam collibus ſuis propemodum ejectam, & hic florentem. niſi quod nobis quidem nihil præter Majeſtatis tuæ præſentiam, ſe hic jam offerat commendandum. Agnoſce obiter tamen iſtius Rheni noſtri, non jam minori, quam olim, gloria fluentis lætiſſimos inſultus & ſtridores; qui à ſexaginta retro annis Tiberi ipſo, & Oronte, & Euphrate, & ejuſmodi diſſitis fluminibus auctus, jam multo quam ante obruto oſtio acrius iraſcitur, & tanto aquarum comitatu perrumpere illud, & trajicere

Oceanum non minus tuum, quam Septentrionis, gestit, ut Britanniæ tuæ rigatorem Tamesim, non ut socium & contubernalem, sed necessarium & maritali sibi vinculo connexum, conveniat, & illa urna sua, non jam arundine aut musco, sed nuptiali corona redimita, reddat & Carolo tuo tradat, ac per tot gentes tuas spargat, hujus diei & duraturam nostram in Te pietatem. Agnoscis enim, quæ hic offerimus Tibi, famæ instrumenta ac æternitatis; quibus, velut clypeo & parma adversus injurias oblivionis & temporum armati, futura sæcula intrabimus, & posteris Te, Augusta, ac tua udituri sumus; Divorum Henrici, parentis tui, Elisabethæ, & Iacobi, quorum sceptra tua nunc tenentur manu, ingentes & fulmine quodam volucres animas, ac, quod nobis potissimum dicendum, nostræ asyla libertatis; quæ ut majorum tuorum sunt in nos beneficia, ita sunt etiam tua; serenissimi Caroli tui immotam in nos benignitatem; quid-
quid

quid Mariæ, tuæ, Augusta, soboli, cœlum addixit fæcunditatis, quam cum Nassoviorum domui eduxeris & nobis; cum in celsissimi Sponsi totiusque hujus imperii ipsa produxeris amplexus; cum in sublimi illo curru tuo, augustis eam ulnis sustentatam, & inspectam populis, circumtuleris; cum inter totius Bataviæ applausus eandem imbueris sanctissimi clementissimique imperii disciplina, ut non minus nos, quam Britannos Tuos, imo quam ipsam Te, amaret; hæc tam ingentia bona soli Tibi deberi à nobis & nunc grati agnoscimus, & nunquam desiturâ prædicatione à posteris nostris celebrabuntur. Nobilissima profecto & post venturis tradenda materies annalium; cui ad adspectum tantæ Majestatis tuæ pallidas & prostratas has sedes, ad cogitationem vero clementiæ tuæ, ac benignitatis, ad vultus tui blandi non minus, quam augusti, conspectum erectas iterum & velut spiritum resumentes, pro gloria nostra adjecturi sumus.

Et nunc quidem transferre festinantem Te adorandam aliis eamdem Majestatis comitatisque tuæ sublimitatem, nos non dimittimus, Augusta, in animis nostris & votis æternum mansura. quæ ne itinere tuo sint tardiora, & si audire Tibi nunc licet inter tot faustas aliorum acclamationes, inter tot strepitus faventium tibi armatorum, brevia, sed sincera, & quæcunque carissima Tibi sunt complexa, postremo accipe: Deus Te tueatur, Deus Te custodiat, Augusta; Deus Carolo, & serenissimæ soboli, ac huic inprimis; Deus Britanniæ, imperii, posterorum, & pacis æternitatem; ac, si quæ nostra sunt liceat innectere tuis, hunc totius Britanniæ pro innocentia caussæ nostræ consensum, hunc Caroli, hunc Tuum in nos animum, hanc constantiam & fidem, quibus nulla majora hæc Respub. hodie agnoscit aut requirit munimenta, perpetua manere nobis posterisque nostris patiatur.

PANE-

PANEGYRICVS
IN NUPTIAS
CELSISSIMI PRINCIPIS
GUILIELMI,
Principis Arausionensium,
ET
SERENISSIMÆ PRINCIPIS
MARIÆ,
Potentissimi Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis Caroli,
FILIÆ PRIMOGENITÆ.

ORATIO II.

SI quanta adolescentis Principis nuptiæ omnem hanc Fœderatorum Rempub. per hos dies lætitia implevere, tanta mihi nunc esset facundia, nec excusandum aliquid admitterem; nec vos frustra ad me audiendum tam frequentes convenissetis. Quamquam autem nostræ mediocritatis non sit, condigna ad-

adferre ad tanti majeſtatem argumenti, officii & feſtivitatis publicæ lex eſt, non tacere. Enimvero ſicut in humani generis conſervationem, poſtquam æternitas ejus mortalitate damnata eſt, matrimonia feruntur; ita illa principum, in confirmandam gentium ac imperiorum ſecuritatem. Adeo ut anguſta nimis ſint eorum judicia, qui privata eſſe exſtimant, quæ illi excelſo ſupra nos impoſiti loco, more agunt & exemplo privatorum, cum in iis omnia publica ſint; & quod quibuſdam privatorum fere pro arbitrio intermittere hic eſt integrum, illis velut ex neceſſitate, & ut pars quædam imperii ac curæ, injunctum eſſe videatur. Quanti enim quamque incomparabilis uſus eſt, ille naturæ ac ſanguinis nexus, quo non principes tantum rerum, ſed totæ etiam nationes arctiſſimè conjunguntur? Cui omnem aliorum fœderum, quæcunque tandem ea ſint, vim cedere ac religionem, nemo eſt, qui poſſit dubitare. Ea enim conditio cæterorum eſt,

ut

ut cum mutationi obnoxiis vel rebus vel consiliis insistant, nullo sæpe negotio simul cum his evertantur; illa vero, in quorum legibus ac pactis thalami principum leguntur, observandi nunquam deesse gravissima caussa potest, cum nunquam deficiat sive vis sive inclinatio naturæ, &, quæ eam sequitur, affinitatis. Ad quæ, longe majora invicem sibi debent liberi & patres, quam socii tantum & fœderati. Et, cum omnium publicorum fœderum tanto gloria sit major, quanto diutius durant, principum matrimoniis quandam quasi æternitatem eis conciliari certum est; dum qui ex fæcundo utrimq; sanguine gignendi sunt, utriusque sanguinis caussam & Rempub. pariter ac merito creduntur amaturi. Neque enim, hercule, ut in nuptiis infimorum, Cajus & Caja manus hic jungunt, sed eodem impetu ac affectu irruunt in mutuos amplexus ipsæ gentes, & omnis gentium fortuna. Cum vero & hodie factum sit, ut Britannia sic & Res-

Reſpub. Fœderatorum, quanquam alio pridem pacto ſociatæ, coierint, inter optimi Principis prima & vere paterna, non pro filio tantum, ſed pro hoc etiam imperio, conſilia, hujus judicium ac magnitudinem læti omnes numeramus. In quo majorum ſuorum exempla non ſequutus modo eſt, ſed ſuperavit: cum illi tantum haud potuerint, quantum poſteri, non ſua tantum, ſed addita majorum gloria, plus ſemper æſtimati. Pater Guilielmus; quem quo amore ſuperſtitem complexa ſit, quantoque ſanctiſſimam nunc memoriam ejus complecti debeat hæc Reſpub. vel magnitudo tantum, non jam dicam virtutis, ſed hoſtilis odii clamat; cui vitam & innocentiam, tot petitam inſidiis, & inter tot ſervatam, ut victimam pro libertate, tandem impendit; repetito quater connubio, in Belgio Egmondanæ, in Germania Saxonum, in Gallia Borboniorum & Coligniorum illuſtriſſimis familiis ſuam illigavit. Ex quibus longa ſimillimorum ſibi

ſibi liberorum progenie auctus, per maſculo inferiorem ſexum in Gallia iterum Bulioneorum, & Tremouliorum, in Germania Palatinorum Rheni principum, florentiſſimas gentes ſuas fecit. Filii, Philippus, cui ab illuſtrium ſtudiorum complexu adoleſcenti rapto, & in Hiſpaniam contra gentium fas avecto, non alia longi carceris cauſſa fuit, quam de paternarum virtutum imitatione certiſſima ſpes excitata, Condeano ſanguini, vere regio & totius Galliæ nobiliſſimo, junctus, ſed improlis; Mauritius celebs, diſceſſere: ita haud dubie, inter tot ingentes curas, quibus ad hoc potentiæ noſtræ faſtigium promoti ſumus, hujus conſilia diſpenſantibus fatis, ut iniquum nec pro Repub. videretur liberos tollere, cum Fredericum non modo fratrem, florentem annis, haberet, ſed & ſua diſciplina, ad imperatorias imbutum artes, rem Naſſoviorum & Belgarum novis exemplis aucturum, ut quotidie nunc auget, haud

aliter

aliter ac filium & ad instar cujusdam nunquam desituræ multitudinis posterorum æstimaret. Huic autem cœpta est pariter propemodum matrimonii & imperii, necessaria jam utraque, cura; Æmilia, è Braunfeldensi Solmensium sanguine, in consortem tori delecta. De cujus non remota minus ab ætate nostra, quam decora antiquitate, nihil nunc aliud dixerim, quam quod in ejus laudatissimis majoribus & ipsa gentis suæ initia, & deinceps perpetuam laudis materiem inveniant quotquot leguntur Germaniæ annales. Neque illis minus nunc ex Æmilia sua gloriæ; cui instar omnis & perpetui trophæi est, fœcunditas tori, & lætissima progenies, & in ea filius, illud felici utero gestatum onus, quod hoc paterni imperii aliquando sustineret. Qui puer admodum, auctoritate eorum, penes quos suprema vis est hujus Reipubl. successor patri destinatus, à patre, ne publicam spem falleret, pro ea educatus est, dum illi nutricum delitiæ & cantus

rus sunt exempla majorũ, omnium pulcherrima, qua vagientes principes inbuantur, disciplina; dum prima lectionis ac styli rudimenta sunt, aut vota Belgarum & acclamationes, quibus illorum triumphi toties sunt excepti, aut eorundem lachrymæ, quibus aspersa illorum funera, qui à perfidia hostium, aut natura ad mortem damnati, olim excessêre; dum Comitiis Patrum interest, & de Repub. agit parvulus Senator; dum denique domi aut foris paternis ex rebus, quas ante gestas legit, aut nunc spectat ipse, totum ediscit, tam bello, quam pace maximum Imperatorem. Huic nihil jam adjici poterat, quanquam primas tantum adolescentiæ ingresso metas, præter unum illud hujus connubii decus, quo sanguini Regum insereretur. Multa sane patrem admonebant; *Hæredem imperii non sufficere, nisi confirmatum. Opus esse munimentis, quibus & Respub. juvaretur; quæ foris nunquam tutius quam in connubiis inveniri. Inter tot commota Europæ principes, vel extorres*

torres, vel domi exhaustos & alieni auxilii egentes, inter tot dissidia in sacris & partes, inter plurimos clandestinos hostes & invidos Belgicæ libertatis, paucos esse, quorum sanguini posset, pauciores quibus vellet suum illigare. Nam totum, præsertim principum, caussæ etiam & fortunæ publicæ utrimque inducere communionem. Esse in proximo Britanniam, & in ea auctam liberis regalem domum. Esse regionem, cujus claustra inprimis & portus; gentem, cujus societatem hactenus ac fidem; Regem, cujus per terras & maria longe exporrectam potentiam; liberos, in quibus cum paterno Borboniorum etiam maternum sanguinem, ut securitatis suæ magna præsidia, Belgæ commendarent. Facturum ad suæ decus domus, progenie regum in eam invecta, quam jam & Cæsares majores, & quamcunque virtus conferre potest gloria, primis æquipararent. Facturum ad Reipub. robur, præsertim hac tempestate, si Regum potentissimus, junctis Belgarum Gallorumque armis sua adversus Hispanos sociaret. Quid enim reliquum, nisi ut illi Belgio & mari omni expulsi, evoluti, ultra

Pyre-

Pyrenæos montes ad deserta Castellæ, & in solitudines suas reverterentur? Nec deesse illi justissimas caussas; & hoc connubio impelli posse occasiones. Divinæ profecto illæ sunt, & raræ principum curæ, in quibus privatæ fortunæ gloria cum publica ab iis conjungitur. Quo autem in hujus consilii destinationem altius inspicio, eo magis in hanc mentem adducor, ut maxima animo amplecti incomparabilis judicii, ita exsequi non minoris industriæ esse & felicitatis, cum sine his sæpe optime consulta ab eventu destituantur. Tanta igitur jam meditatus, non ea stitit aut cohibuit, quod sibi diffidentium est, inter abdita cogitationum, sed exsequendis iis debitas partes impendit, suo consilio usus, ministerio, ut mos est, alieno. Iohannes Kerckhovius ante omnes dilectus est, qui principis sui affectus & amores interpretaretur. vir, cui, præter gentis nobilitatem, inter primos in aula locum virtus fecit, cujusque privata majori facundiæ tanti operis legatio debebatur.

Neque alienum vobis censendum est, alieno ore, & nunquam amanti visam hic amari. Frustra enim estis, si ad Nasonis præcepta principum flammas exigitis. Aliter hi amant, aliter privati, quorum tempora arbitrio dominæ & ineptiis perduntur. Illi puellarum in templis ac theatris spectatores frequenter inspiciunt vultus, quos sæpe cerussa tantum commendat & fucus; hi solam Rempub. intuentur. Sunt illis in amore oculi duces; his consilia, quibus ipsa imperii, quod accepere, salus & æternitas fundatur. Corcula ab aliis & animulæ, & blanda ac delicata nomina; ab his augusta omnia & matres patriæ ambiuntur. Nisi quod cum privatorum amoribus id hic commune agnoscimus, quod auditi etiam sint, sed judicii regii auctoritate mox rejecti, rivales. Stupendum profectò & supra posterorum fidem! Hispaniæ & Arausię principes eandem amant, & hic præfertur. Quanta tamen illius majestas est & potentia? qui, cum non sufficeret hujus

hujus orbis nostri spatium, quod omne imperio aut spe complexus est, Antœcos & Antipodas sceptris suis adjecit; cui sol iste, quem subinde vos non videtis, nunquam occidit; cujus velut patrimonium & avitæ opes jam sunt ditissimæ illius Peruæ messes; quem denique vexata ab eo tot per annos Europa aut habet dominum aut formidat. Magna illa, fateor, videri possint, nisi alia essent, quæ hic cogitemus. Equidem quærere mihi liceat, quo titulo ista tot regna & quomodo possideat, & quamdiu sit possessurus? qui ad acquirendi rerum dominii modos, Romanis & melioribus gentibus laudatos, ferrum ac arma adjecit, quibus qui major est, sæpe non minor est iniquitate; cui in Indiam, Occidentis maxime, avaritia viam fecit, & supplicii regum causa non nisi opes eorum & innocentia fuere; cui tuenda vi sunt, quæ eâdem acquisivit; qui quorum legitimus dominus est, tyrannum agit & ex subditis hostes facit;

quem

quem ſceptris jam potentiſſima regna domi exuere; qui quam omnium libertatem odit, tam omnes inexplebilem ejus ambitionem; cui denique, ut intra noſtra me cohibeam, noſtris auſpiciis, & invicta ducum noſtrorum manu, in Belgio quotidie validiſſimæ civitates, in mari inſtructiſſimæ claſſes, in alio orbe totæ ditiones decedunt. Fecit profecto, Gulielme Naſſovi, & avita, & patrui,& paterna virtus, vi Hiſpanorum ac fraude ſemper major, ut in ſereniſſimi Regis, ſoceri nunc tui, judicio potior cenſereris. Ad hæc multis experimentis pridem agnitum eſt, Hiſpaniæ Auſtriæque principum amores non niſi inſtrumenta eſſe evertendæ aliorum dominationis, & inſidias ad Chriſtiani orbis expugnandam libertatem pacemque comparatas. Auſtrii certe, è modicis initiis ad hanc magnitudinem, cui unus orbis non jam votum eſt aut limes, matrimoniorum beneficio emerſere. Illa Philippo I. Hiſpanias, & ignota olim Indorum regna; illa

illa Maximiliano primo Belgii ſeptem ſupra decem provincias, regnis non minores, aliiſque alia adjecere. Neque illa nunc dicam, quæ in ſacrario Augusti pectoris, & ipſo penetrali majeſtatis recondita, nec inſpicere, nec inſpecta intelligere ſatis aut explicare poteſt vel mens vel facundia privatorum. Tui interim, Rex Auguſte, pro nobis judicii magnitudinem venerabundi gratique hic & excipimus & interpretamur. Prætuliſti aliis illum, quem tot majorum virtus, & ſpes omnium maximæ jam excitatæ, primis terrarum principibus concedere non ſinunt. Itaque deligere non poteras digniorem. Nihil tamen hic noſtrum, aut in principis noſtri meritis agnoſcimus, præter adorandam nobis auguſtiſſimę voluntatis tuæ benignitatē. Repetimus in ea priorum temporum bona, quibus majores tui & majorum noſtrorum principes connubiali fædere haud ſemel, incomparabili utriuſque gentis bono, coiere. Margaret-
 tham,

tham, Florentii V. Hollandiæ Comitis filiam, Regi Anglorum innuptam, & illius filium ac successorem Ioannem primum connubio Elisabethæ, Eduardi Regis filiæ, jam ante quatuor, & quod excurrit, sæcula æstimatum ornatumq; fide annalium laudamus. Qua ratione inprimis factū est, ut in arctiora fœdera indies vestræ nostræque gentes consenserint. Non explicabo nunc seriem tot illustrium rerum, quarum memoria etiamnum exstat in utriusq; populi monumentis. Nec patrum nostrorum aut nostra ætate gesta; in quibus infinita Britannorum in hanc Rempub. merita invenire est, si senum, aut nostræ conscientiæ adolescentiam circumeamus. Quis enim tam domi hospes est ac peregrinus, qui ignoret quid Elisabethę, reginæ omnium ætatum maximæ, primæ vindici nostræ tunc inprimis afflictæ libertatis & patronæ; quantum Iacobo I. tuo, Carole, patri, principi sapientissimo, quantum tibi, felicitatem nostram & tuorum merita quotidie augenti,

genti,

genti, debeamus? Quis noſtrûm tam ingratus eſt, qui non exiſtimet, minimam partem officii noſtri eſſe, benificiorum tuorum commemorationē? Nam & tua ſunt quę majores in nos tui contulere. Et ſane ſi ſtatuendum ſit, de quo vel dubitare tantum eſt nefas, majeſtatē tuam in rebus arduis, inter quas profecto etiam connubia ſunt liberorum, uti non ſuo tantum, ſed etiam conſilio alieno, credibile eſt, præter præſidem intimi Senatus tui Deum, in ſolio tibi conſultanti adſediſſe ingentes animas; & imprimis Eliſabetham ac Iacobum tuos, & Guilielmum Mauritiumq; noſtros, hujus conſilii cauſſam ac auctoritatem ſubjeciſſe. *Nos tui, Carole, majores, & nos quoque majorum tuorum ſocii, &, quod eorum manſuetudinis judicium fuit, fratres, donati jam cœlo ac recepti, adſumus nunc rebus tuis, tanto majoris ſanctioriſq; conſilii auctores, quanto purioris, quam cæteri mortales, incolæ loci; cujus luce circumfuſi nec fallere poſſunt, nec falluntur. Fœcunditas regalis tori tui, quæ fiet, ut ubi in orbem noſtrū fata te ac merita tua recepe-*

rint, minus futurum sit desiderium tui, & post excessum tuum superfuturus sis, ut nos in te nunc supersumus; quanto majus cœli, jam nostri, benificium est, tanto illustrius erit, si id juvandæ Reipub. cujus mandata tibi cura, aut quacum communis causa est, impenderis. Non tantum liberorum tuorum pater, sed princeps es; &, ut publicum in iis respicias, te rogamus. Neque tui nobis olim cura alia, quam imperii erat. Ante omnia vero cavendum tibi ab illa gente, cui nemo impune se fœdere, aut suos connubio conjunxit. Si potentiam ejus videas, maxima est; si conatus, merito formidata; si sobolem tuam ambientem non rejeceris, facies majorem. Nemo enim cum serpente securus ludit. Neque illa unquam magis amare se fingit, quam cum maxime odit. Sunt etiam tibi domi, qui quia istam amant, te odere. Tuum igitur est eam odisse, quæ ut undique te circumveniat, se simulat amare. Si odisse se diceret, minus tibi noceret. Aspice vero in proximo, tam suo invictam, quam à nobis & te quoque inito confirmatoque fœderi innixam Belgarum gentem. Quæ cum libertatis suæ & nostræ auspicia seque-

queretur, ad hanc magnitudinem se evexit; & beneficium grata agnovit. Dextras junximus, & *communi hoste exstitimus superiores. Sive ferendi auxilii sive accipiendi ratio esset, semper id accepimus, etiam qui ferebamus.* Tuam & *horum gentem non divisit Oceanus, sed conjunxit. Caussa inprimis.* Tuam *illa tot annorum, tantique terroris quanta felicitatis, bello agit; sive sacra videas, & innocentiam quam colit ejusdem religionis, sive imperium, cujus securitas omnis posita est in illius conservata libertate.* Sunt tibi maria & *portus, tibi beneficia naturæ, illis tua.* Sunt & *durant à tot retro sæculis pacta utrimque fœdera, & quod primum exemplum, aut inter rarissima est, nunquam violata; sive quod ea fides gentis sit, sive quod ex usu utriusque populi semper illa fuerint æstimata.* Quin igitur, *ut populi, ita principum dextræ jungantur?* Est Nassoviorum *plena triumphis domus. In eâ hæres unicus imperii & fortunæ. Pro quo primogenitam tuam ambiente nunc utraq; Repub. cur differas eum aut averseris?* Neque *enim est, quem præponas.* Denique *instar omnis consilii tibi sit, nostrum exemplum; cum*

 non

non minor sanguinis nexus aut usus esse vel debeat, vel possit, quã causæ, quæ nos olim conjunxit. Hę sunt ad superstites defunctorum principum legationes; quæ sine externo omni apparatu & pompa, aliorum consiliis, quæ humanis plerumq; affectibus obnoxia sunt, exclusis, collectis imperantiũ mentibus, velut in cœlesti quodam secessu, offeruntur; quæ mutæ & elingues supra facundiam sunt disertissimorum; in quibus cœlo demissi adferunt divina mandate; id est, sua & avita exempla non memoriæ modo, sed imitationi posterorum commendant. Parum abest, Rex maxime, quin iis te verbis conveniam, quibus Ausonius consul Gratianum Imperatorem, qui solus de consulibus designandis consilium ad Deum retulerat. O profundi altitudinẽ secreti! Valete modo classes populi, & urbanarum tribuum prærogativæ, & centuriæ jure vocatæ. Quæ Comitia pleniora unquam fuerunt, quã quibus præstitit Deus consilium, obsequiũ Imperator? Quomodo solus, cui præsto est tam

tam grande concilium? An plenius cum Senatu, cum Equeſtri ordine, cum Provinciis omnibus deliberaſſes? Conſilium tuum ad Deum & majores tuos retuliſti, non ut, credo, novum ſumeres, ſed ut ſanctius fieret quod volebas. quo à te admiſſo jam, mox hominum & inprimis tot regni tui procerum auguſti Senatus judicia acceſſere. Cujus tantæ rei cum per Britanniam Bataviamque omnem læta ſe circumferret fama, exhauſta ſunt utriuſque populi vota & acclamationes. Quæ non interrupta eum maxime diem implevere, quo in ſacrario tuo, quod non minus Deus, quam Majeſtas tua inſederat, non duę tantum principum dexterę, ſed quidquid ſceptrorum tuorum, quidquid noſtri imperii eſt, coiere. Si quidē mihi nunc liceat ad nuptialis hujus lucis celebritatem ac pompam aliquid conferre; ſi pulcherrimam imaginē, quam animo complexus ſum, repreſentare, dixero, inter laquearia illius, in quo peracta iſta ſunt, loci, pręter ęthereos illos ſpiritus, cœli ſatel

lites, & hominum, maxime principum, custodes, præter sepultorum, sed in hoc connubio reviviscentium, majorum manes, circumvolitasse dextras jungentium capita, velut pronubas, Memoriam priscæ societatis, cui plena nodorum vestis, & ex nasturtio corona; veteres tabulas & sigilla principum, quibus confirmatam se jactabat, tenentem manu; & Securitatem patriæ, viridi indutam veste, ac anchoræ innitentem; explicantemq; dextra imaginem, in qua maria nostra, & flumina, & paludes, quæ Britanni Batavique, immoti, invicti, & quibusvis hostibus inaccessi habitamus; Innocentiam, alba indutam stola, & pallentium violarum diademate redimitam, eorum longa serie nomina recitantem, qui libertatis nostræ vindices hostium libidini non aliam ob culpam, quam innocentiam, ut victimæ, cecidere; Et Fidem, ipsam suas vincientem manus, duarumque virginum Britanniæ & Fœderatorum Reipub. dextras suæ eodem vinculo illigan-

ligantem. Neque enim, hercle, eam abſuiſſe cenſendum eſt, quæ in Brederodiis, Aerſſeniis, Kerckhoviis, Ioachimiis, ſumma nobilitate & virtute viris, præſentem ſe ſtitit. Nam ejuſmodi hominum miniſterio ſedibus ſuis ſe movent, navigant & peregrinantur, & ſpectandas ſe regibus prębent, ac verba faciunt, totæ nationes. Annulus ille, Maria, princeps illuſtriſſima, quo tuo te ſponſo devinctam agnoviſti, vinculum eſt communis cauſſæ & libertatis. Illa oſcula, tuis impreſſa genis, illi toris tuis impreſſi amplexus, non unius principis, ſed totius Reipub. ſunt. Non uni, ſed infinitæ cuidam multitudini te junxiſti. Qui oſcula non poſſumus, obſequium tibi deferimus, & dextræ noſtræ, quas tuæ innectere non licet, in cœlum porriguntur: quibus tot votis & precibus noſtris armatis, Deum ipſum convenimus, & tuum facimus, quidquid gratiæ eius impetramus. Dotem aliam præter te, & auguſtæ domus tu æternitatem, conſtantiam gen-

tis tuæ ac fidem, & gignendam ex te illustrissimam progeniem, non poscimus. Neque in te quidquam præter justam ætatem nunc desideramus, Si enim ad annos respicitis, Auditores, immatura est. Interim vim tuam poscimus, Natura rerum, & nunc maxime imploramus, ut, si quidem unquam stiteris cursum solis, sicut stitisti, si raro aliquo & singulari exemplo superaveris humani generis exspectationem, si turbato in hujus universi administratione recepto ordine, hunc tibi, non te illi subesse aliquando probaveris, si denique vis, quantam dicendo nemo assequi potest, unquã faverit eorum votis, qui benificiis tuis prę ceteris obstricti, ea grati semper agnovere, aut ante annos parem hanc principem facias speratæ fæcunditati, aut compendio trãsigantur illi, qui desunt; quo & desideriis publicis satisfiat, & illius sanguinis exstet citius & adolescat propago, cujus virtutem, felicitatem ac fidem, in majoribus abunde experti, in posteris jam poscimus, ac haud dubie inven-

venturi sumus. Cæterum quid hic aut quid non optandū nobis sit, propemodum ignoramus;& erunt forsan,quibus hęc nostra sive desidera,sive vota iniqua videbuntur. Si plus solito properent soles,excessum ejus, cujus longævitatem poscimus, imprudentes festinamus; sin autem idem sol cœli vias decurrat eadē, qua solet, tarditate, mora injicitur tam necessariæ quam optatæ fœcunditati. At vero frustra hęremus hic anxii & dubitamus. Maneat qui fuit naturæ & universi ordo. Sint sui sideribus discursus & itinera consueta,sui annis fines & metæ:nec quidquā detractum cupimus aut naturæ ordini, aut calculis Mathematicorum. Tantum,si liceat hic nobis uti formula antiquorum, de annis nostris supremus ille arbiter hominum & custos demat,quantum ad ætatem eorū augendam accedat, qui nunc dextras conjunxere. Quis enim post optimos principes, & hujus eorum sæculi felicitatem, velit superesse? Incumbat etiam domesticis toris nostris, quan-

quam alias invisa, sterilitas, si eâ hujus thalami, in quo spes patriæ & delitiæ decumbunt, fæcunditas possit juvari. Quis enim sua privatim bona cedere nolit publicæ felicitati? Nisi quod eorum etiam intersit, à privatorum osculis & complexu arceri injurias sterilitatis, & ex iis educi longam seriem liberorum; ne desint, qui eorum auspicia domi aut militiæ sequantur; quos pro eorumdem & Reipub. incolumitate in acie adversum hostes, &, si opus, in exitium offeramus; qui denique eorum clementissimo imperio & mansuetudini devincti tam experiri, quam celebrare possint temporum felicitatem. Nam frustra fæcundi principes sunt, nisi èx privatorum thalamis accipiant, quos regant; & nequicquam boni sunt & magni & felices, nisi tanta multitudo sese offerat obstringendorum, quanta beneficiorum, quorum maximi principes esse possunt, & optimi esse volunt, auctores. Qui coniugalibus vinculis nondum

dum constricti estis, mancipate vos suavissimæ servituti, cujus incomparabilis usus est, ubi principes sunt & nascuntur custodes libertatis. Qui in viduitatem conjecti estis, priores amplexus repetite, cum non tanta rerum fiducia sit sub cælibe principe & optimo, quam sub optimo pariter & patre optimorum. Tollere quisque liberos cupiat, cũ quæsita sterilitas ut sub pessimis solatii pars est, ita sub optimis & optimorum patribus non nisi injuria debeat censeri. Gaudeant fœcunditate sua matres, & bene se merituras de liberis suis non dubitent, quibus hoc sæculũ, & hoc principis connubium ostenderint. Qui ad ejus, aut posterorum ejus, adspectũ, tanquam ad clarum & beneficum, ut ille loquitur, sidus certatim advolent; objicere se insidiantibus omnibus paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragẽ humanam, intet tot hostes libertatis, iter ad salutem publicam struendum sit; qui somnum eorum nocturnis excubiis muniant, qui latera objecti circumfusique de-

defendant; qui denique incurrentibus periculis se opponant. Quidnî enim ex hoc toro posteros, & tot principes, quot posteros, expectemus, cum traduces frequentissimæ Stuartiorum & Nassoviorum gentis concurrant ad absolvendam hujus connubii felicitatem? Quorum haud divulsa series & incorrupta, per tot sæcula, quæ singula eorum meritis obstricta effluxere, per tot majores, nunc cœlo suo donatos, per tot Regum sceptra, & Cæsarum etiam titulos, in hanc usque ætatem, velut per gradus quosdam, est devoluta. Nec progeniem tantum principum, sed optimorum certissima spe præcepimus, majorum non posteris tantum, sed &, quod plus est, exemplis quoque propagatis; in quibus Stuartiorum sunt tot invicti & formidati, sed tantum hostibus, reges, tot libertatis suorum, & Belgicæ, vindices, custodes, &, quod omnium maximum, ac totius orbis non jam judicium tantum, sed vox est, FIDEI DEFENSORES; in quibus Nasso-

vi-

viorum tot ingentes animæ, de incolumitate hujus Reipub. optime meritæ, tot quam æquæ semper, tam olim afflictæ caussæ nostræ, ferro armati & consilio patroni, tot fortunæ nostræ in hanc magnitudinem evectę auctores, & sive numerum videatis, sive spectatissimá, bello inprimis, virtutem, non jam dicam centuriæ Heroum, sed legiones. Non possunt non tanti majores in iis quos ex se gignunt, superesse, sive propter vim naturæ, quæ eorum semini, qui supra cæteros ut sceptris ita animis etiam excellunt, summa est impressa; sive propter exempla, præcepta totidem & annales, inter quæ, non aliter ac inter nutricum ubera, alumni principum educantur. Lac ab aliis, ab his reges principesque imbibuntur; & inter ipsa crepundia non tam ludere discunt, quam imperare. Amant alii patres, hi etiam imirantur; in quorum cunis, & quod eas circumstat ministerio, quidam velut futuræ majestatis & Reipub. est apparatus. Equidem

dem mortalium vulgus fere posteros tantum habet : in posteris autẽ principum etiam majores redduntur. De quibus quidnî majora etiam credamus, cũ & eorum, qui antecessere, exempla eligere illis liceat, & istis jã imbutis nova insuper conferre? Sed nequicquam intra spem modo cohibemus orationẽ. Si enim immortalis ille Deus unquam adfuerit Belgarum rebus, si precibus nostris jusserit cœlum ipsum famulari, si ipsa vota nostra toties superaverit & exspectationem, si hanc Rempub. ad tantam magnitudinem non provexerit, & tot eximias hactenus mentes ad ejus curam vocarit, ut pupillã nunc relinqueret aut viduam, inter tot Europæ motus, tot dolos insidiantiũ omnium, & præsertim nostræ, libertati; faciet ille fæcunditatis, inprimis principum, auctor, ut ex hoc connubio illustrissimę posteritatis longam seriem, multos patriæ patres, multas matres, & certissima pignora ut conjugalis fidei, ita publicæ felicitatis, accepturi simus.

Tu

Tu Britannia, regina insularum, quod tibi nomen insulæ minores; socia nostra & vicina, quod Oceanus & situs, & ante tot sæcula initæ societates; mater hujus patriæ nostræ, quod tibi hæc connubia inprimis fecere; non jam terrarum limes, aut toto orbe divisa es, quæ te non fœderibus, ut olim, sed veris dextris nunc nobis junxisti. Qui, quanquam ipsa pridem sufficias tibi, per vela nostra & puppes & rerum nostrarum famam, quibus orbem totum frequentamus aut implemus, tua in nos merita quaquaversum sparsuri sumus. Tu, Carole, cujus augustum caput triplex invictarum gentium diadema cingit; cujus imperium agnoscunt Mona & tot aliæ Romanis formidatæ, & petitæ bello, nec devictæ gentes; cui non minus circumfluentis Oceani, quá terrarum spatium famulatur; qui, cum majorum tuorum meritis satis agnoscendis impares nos essemus, nova adjecisti, & sanguinem tuum, matrem huic Reipub. & publicis desideriis dedisti, non

non minus hujus jam pater es, quam tuorum. Extendisti profecto regnorum tuorum pomæria & fines, non ferro, sed affectu. quem cum nunc debeas nobis, qui patrum est, nos tibi illum offerimus, qui est liberorum. Ambiebant hęc benificia tua, quorum potentia nostrâ major erat, principes aut gentes; sed tanto meliores sumus, quanto majores illi, quos postposuisti. Olim tuis & majorum tuorum auspiciis ac ope hæc imperia, nunc cum illis principes coïere; qui cum omnia sua in usum Reipub. conferant, tanto majora exspectamus. Tu, Frederice Henrice, qui tot tuis rebus, tot victoriis res nostras auxisti; cui se tot invictæ tantique terroris urbes dedidere; cujus promovemdæ felicitati Rhenus, Mosa, & Scaldis, nobilissimi Belgarum amnes, fluxere; quem in alieno Oceano Bætis metuunt & Tagus; post tot arces & hostes ferro expugnata, regalis familiæ augustissimum in eo sexu depositum, judicio, quod de te maximum inter om-

omnes merito tuo conceptum est, obtinuisti. Nam quo major, aut diutius, etiam post excessum tuum (quem nullum, aut serum optamus) audires hujus Reipub. pater, in partem curarum hujus etiam consilii magnitudinē vocasti. Tu, Guilielme Nassovi, qui spes sūma jam es & certissima hujus imperii; cujus provehendi anni Reipub. sunt incrementum; quem iam majorum merita, & supra ætatem indoles, ad regundas aliquando habenas publicas vocavere; quem sponsum Batavia dimisit nuper, Britannia excepit, & maritum nunc, inter tot vota utriusque gentis ac gratulationes, reddit; quem redeuntem tamen, quæ individuam vitæ societatem & fortunæ addixit, haud sequuta est augusta tori conjux; (non quod illa, sed quod natura, & ætas id hactenus negarent) quo fit, ut licet ea superstite, (&, ut diu supersit, rogamus) in quadam quasi agas viduitate; qui inter primos hymenæos desertum prius à tua torum, quam insessum vides, sed

ad tempus desertum; qui tibi pactam juratamque deseris nunc ipse, sed invitus, & sine ulla perfidiæ culpa; qui post peracta jam omnia, quæ mos & religio majorum invenit, post acceptum mariti nomen, differre cogeris & maritale munus, & paternum nomen, & spem liberorum; jam tamen certus es decernendi tibi auctoritate publica illustrissimi triumphi, cum adultam jam tuam & tibi parem, è regali gremio tua dextra sed suaviter raptam, excipient ac sequentur Britannæ & Batavæ classes, quas zephyri impellent & totius Oceani æstus, & circumlambent illæ spumæ, quæ olim Venerem edidere. quarum ubi adventum nunciaverint auditæ ac conspectæ Tritonum conchæ ac legiones, velut mota sedibus suis in littore omnis Respub. stabit, & illa, quæ tot sæcula emensa est, adolescentem matrem excipiet, eamque suis ulnis sustentatam vel augusto curru, quem trahent columbæ & Cupidines & Amores, & tam præeunti-

tium, quam sequentium, etiam eorum, qui abfuturi sunt, vota, in sedibus tuis læta locabit; tuque ordieris quandam quasi novam & domus tuæ & Reipub. æternitatem. In quo opere, non minus quam hostili, virtus tua & fortuna se commendabunt Vtrumque enim militis & viri, utrumque principis est, & utroque Respub. juvatur. Erit cum à complexu Reipub. redeunti tibi, & gynæcei aulam ingresso illa suo te excipiet; erit cum in hostico fatigato tibi, (si in opere suo augustæ illæ mentes, qualis tua est, possint fatigari) illa sudorem tuum, quem jam partim hauserit campus, illa contractum in acie pulverem sua dextra absterget; erit aliquando, cum velut stipendia tua merens, & militari sacramento tibi obstricta, castris tuis se inferet, & vexilla tua sequetur, virtutis non sufflamen, sed incitamentũ; erit denique, cum quibusdan tuorum natale solum erunt hostili cruore aspersi campi; cum per signa tua parvuli

rep-

reptabunt,quibus feroces hostium exuviæ ludus erunt, tuæ delitiæ ac legionum, &, ut sic dixerim, infantes imperatores. Tu quoque, Maria, tot regum sanguis,quæ paternæ majestatis totiusqueBritannorum regni auctoritatē sequuta, quidquid tuum est, & quos exspectas, annos, Guilielmo tuo obstrinxisti, nullum jam vitæ momentum exigis, quin utilitate hujus Reipub. & inter summa beneficia æstimetur. Cum enim momentis singulis aliquid detrahaturannis,quos nondū habes,quosq;additos tibi cupimus,quidnî in momentis jā singulis tua in nos merita adoremus? Interim impatienter flagitamus, &, si quæ communium precationum sanctitati vis est, impellimus tempus illud & urgemus, quo tu non jam patriæ tantum,sed tuorum facta mater,utriusque sexus principes, dextram tuam aut lævam circumstantes, spectes, in quibus Respub. inveniat nova munimenta & novos imperatores; quo illud augusti uteri tui gratissimū onus liberet patriam

am dubia exſpectatione, & illæ mobiles cunæ tuorum, ſtabilem faciant Reipub. ſecuritatem; & iiſdem laciniis, quibus tui, quietura hæc involvatur; ac deniq; infantum vagitus diſerta recludat virorum ora, & illis ſuperiores ſint quævis publicæ acclamationes.

MARCI ZUERII BOXHORNII
PANEGYRICUS, DE CLASSE HISPANORUM
Profligata,
AUSPICIIS
Arauſionenſium Principis
FREDERICI HENRICI,
DUCTU
MARTINI TROMPII.
Ao. cIↄ Iↄcxxxix.
ORATIO III.

Qui inter diſcrimina ſumma ac injurias libertatis eluctati primo exſpe-

tionem omnium ac nostram, dein magnitudine rerum ipsam famam, nunc fidem & admirationem, & quidquid supra est, quidquid etiam ingeniis veterum ad fabularum & credulitatis pompam adjectum est, captâ partim per hos dies maximi terroris Hispana classe, partim in fugam acta, supergressi sumus, Auditores. Id tantum a præsentis ævi & vestra adeo conscientia ego jam petierim, ut, quod post tot sæculorum decursum nondum gestum est, nunc fieri potuisse credatis. Posterorum autem & æternitatis tanti facinoris caussa, beneficium naturæ rerum poscimus, imploramus; ut, cum decursu fluviorum maria augeantur, Britanniæ Tamesis rigator, & Mosa ac Rhenus nostri, reliquique Septentionis, & quidquid ubique aquarū versant nobilissimi nostri amnes, nunquam destituant eum locum, ne exstitisse postfuturi negent, in quo gestum est, quod nunc laudamus. At mihi tamen venia sit, si rudis tantum artifex dicendi, ad

ea celebranda me contulerim, quę etiã ora omnium disertissima fatigarent. Nec enim jam pompam artis & ornatum, quibus mediocria tantum extolluntur, sed totius orbis stuporem tantum adferimus & admirationem: donec supra veterum inventa, nova decendi ingenia fingantur, quibus res novę ac nostrę, & tantę, commendentur. Feeerant prçcedentium annorum expeditiones, ut post raptas pene totas Provincias, post validissimas civitates terrâ expugnatas, finibus Reipub. quaquaversum promotis, Hispani locum sibi hic prius quam hostem defuturũ cogitarent. Et certante quasi cũ invidendo rerum successu invictę gentis nostrę animo ac virtute, bellis illatis capita rerum in Hispanorum Belgio concussa sunt & commota. Inter quæ & consilia hostium mutata sunt; quibus in ipso mari, quod imprimis securitati nostræ ac augendis opibus natura destinavit, belli eventum experiri potius videbatur. Est Cantabrorum (Biscaï-

nis tractus & educatus, hostium & Oceani gnarus, & impetu ac consilio pari, etiam dubiam, & ancipitem, & alios omnes territuram prœlii fortunam non declinaret. Spem hostium adventus potius quam metum, novem jam mensium lenta exspectatio fefellerat; cum, Septembri nuper adulto, nostris, navium vix duodecim manu instructis, cæteris alibi & procul in statione agentibus, classis Hispanorum, navium fere septuaginta, tunc maxime, & quia tanta, præter exspectationem, offertur. Erant pleræque omnes molis invisitatæ; turres veluti maris & castella, Lusitaniæ & Castellæ, Gallæciæ & Cantabriæ, denique omnia Hispanorum regna & vim ipso etiam nomine testabantur. Imposita illis militum & sociorum millia admodum viginti & quinque. Dux non unus, aut imperator; primi quisque loci, & maximæ domi auctoritatis. Machinarum majorum multitudo tanta, ut vix par unum in prœlium pariter

unquam fuerit producta. Qui cladē forsan nostrorum aut fugam exspectatis, nos audite, qui vestræ ac posterorum memoriæ, pleni stuporis ipsi & admirationis, mandamus; NAVES BATAVORVM DVODECIM, HISPANORVM FERE SEPTVAGINTA NON SVSTINVISSE MODO IMPETVM, SED ETIAM REPRESSISSE; MILITES BATAVORVM HAVD MVLTO PLVRES QVAM MILLE, HISPANORVM MILLIA VIGINTI ET QVINQVE IN TVRPISSIMAM FVGAM CONIECISSE. Tanta dicendi simplicitate hæc apud aures vestras deponimus, quæ nulla fama, nulla ingenia satis unquam expresserint. Est Cantii apertum in Britannia littus, (Downas appellamus) ubi stationem fugientes fixere; mox a persequentibus nostris obsessi sunt & circumventi. Horum præsidio, exuendis patrię hostibus, Respubl. hæc & privati omnem navium vim certatim, ac raptim, contulere. Mox cum bona Magnæ Britanniæ Regis Caroli pace, (cujus, ut & majorum ejus,

ejus, plurima in nos beneficia libenter prædicamus) in violatores fœderis & non ſtantes pactis, in abire juſſos & non obſequentes, in hoſtilia per ludibria primum tentantes magno animo invecti, & pugnam pariter ac cladem eorum exorſi ſumus. Datum profecto tunc illuſtre exemplum eſt, quanquam maxima vi, infeliciter tamē adverſus illos pugnari, a quibus non tam viri & arma, quam cauſſæ æquitas, ejuſque æſtimatione auctus flagranſque animus; adverſis opponuntur. Nam ſi, ut par eſt, immortalis Dei juſtiſſimum ſemper in hominum rebus imperium agnoſcamus, non ſemper major eſt, qui adverſum meliores maxima impendit; ut nec melior ipſe eſt, cum vicit. Teſtamur per tyrannidem adverſæ gentis diu toleratam, & tandem depulſam, per felicitatem noſtram, tot annorum decurſu, tanta cœli indulgentia; tot regum ac principum, ipſa etiam hoſtium, confeſſione exceptam & æſtimatam, quidquid

opponant servitutis suæ & rerum ignari, hanc Rempub. non exstitisse ante caussæ suæ & imperii æquitatem. Navium hostilium aliæ in littus impulsæ sunt, & steriles arenas; fractæ mox & incensæ; credentibus se undis, qui tueri debebant; quorum exitio navales Fœderatorum Belgarum socii incredibili contentione & pertinacia imminebat. Quos ne quis postulet crudelitatis, intercedimus. Parentes aliis, aut liberi, aut fratres, & tot pedore carcerum, tot inter vincula fame aut siti exstinctorum contubernalium manes, oculis pugnantium oblati, quasi adhuc laborum socii & juvantes, non jam lachrymas aut muliebria lamenta, sed memoriam sui & ideo ultionis, poscere videbantur. Alii hostium in fugam conjecti, ad eam festinantes, ut eodem passu omnium ducem sequerentur, sive prelii ignari & maris, inter Hispaniæ ficus & oleas, inter campestres rivos tantum educati; sive fidei obliti; sive quod classiariorum numerum invi-

vitia augerent. Per quorum ignaviam ac metum, à modicis navibus, quæ immensæ erant, subjugatæ sunt: & capti multo plures erant, quam capientes. Erant velut vinctæ adhuc & impeditæ eorum manus, qui in ipso Cantabriæ portu intra angustias carcerum aliquamdiu conclusi fuerant, ne navium fugientes declinarent. Omen, nisi fallimur, acceptæ cladis, ut, superstitione gentium reluctantes hostiæ adversa & dira omnia portendere ac significare credebantur. Atroci dein tempestate exorta, qui hostium superstites, & nostri, divisi subinde sunt, & iterum conjuncti; continuata illorum clade; quâ eâdem, quanquam non eodem loco plerique capti, mersi, aut in littus impulsi periere. Ita modica ac prope nulla, si ingentes illas hostium copias numeretis, manu, Hispanorum classis quantam Septentrio iste nunquam vidit, superata est. Hujus tam magnæ & lætærei nuncio omnis hæc Respubl. excitata, ac in hujus triumfi, velut fe-

licitatis suæ spectaculum effusa, suam ac privatorum fortunam non in solido tantum aut portu collocatam, sed supra spem suam auctam & evectam sibi gratulabatur. Ne jam Dei optimi maximi pacem ac præsentiam loquar; cujus agnoscendæ caussa templa nuper obsedimus & aras; pervigilem & indefessum pro salute nostra animum vestrum, Patriæ Patres ac custodes; curam tuam, Frederice Henrice, Princeps invicte, cui supremum apud nos terra & mari militare est imperium; a quo tot facinora patrata, qualia, cum cuperemus omnia, ne quidem optabamus; cujus auspiciis, &, quod quoque nullum est majus, consilio ac exemplo hæc geruntur, grati agnoscimus & veneramur. Quis veró ille lætitiæ publicæ testis ac index dies? quo Trompium, quanta ausum, tanta merentem, non currus triumfales, non ex ebore sceptrum, sed victricia aplustra & victæ puppes, & vota omnium ac gratulationes in cœlum extulere. Raptis enim

enim ex ipso mari, & in eo fixis trophæis, Romanorum ingenia in fingenda triumforum pompa longissime superamus. Nobis, pro statuis ac aris, satis est extortas hostibus ingentes, & tantum cum nostræ sunt invictas naves, hic partim, plures in Zelandia spectari. Nisi quod triumfo omni majus fuerit, quod non videbatur. Ex septuaginta fere armatarum navium & instructissima classe, quinquaginta admodum aut mersæ, aut flammis & ipso littorum contactu prostratæ sunt. Ex tot millium manu pauci & nuncii tantum cladis eluctati; aliis mari aut ferro, quibusdam morbo absumtis; haud paucis in aliena littora ejectis. Nos, majoribus necdum satis æstimatis, captos nondum numeramus. Omnes tamẽ inter suos credimus desiderari; nec, licet annua ex Perua auri & argenti forsan accepta messe, in hac tam adversa fortuna hostes se solentur Non enim istis, si viri, si majorum nostrorum posteri sumus, sed milite adversum nos

 pugna-

pugnatur. Quæ vero & quanta sociorũ navalium hilaritas tunc & pompa? Captos trahebãt ipsi, aut sequebantur; tam supplice tunc ac demisso Hispanorum vultu, quantâ paullo ante ambitione; quorum tunc quoque socii superbo & adstricto cultu induti, novitate spectaculi omnium oculos implebant; lætiores, Hercule, quam cum Macedones victorum à se Persarum habitu suum mutarent. qui adversum hostes se viros, apud suos, hostes tantum ostendunt, eosque victos & debellatos. Veri illi Fratres ac Socii Pop. Romani, æstimatis jam tũ eorum ingeniis meritisq;, cum cœnum nostrum ac paludes, cum Oceani brevia ac vada, cum Rhenus ac Mosa in ulteriora ituris obstarent; cum ut sagittæ & tela in usũ armorum, ut maximus Scriptorum loquitur, seponerẽtur. Ex quibus nati tandem, ipsa solis cubilia, orientis aut occidentis, emensi sunt. Sine familia fere omnes ac tribu, nominis majorum suorum obliti, non virtutis. Neq enim eos jactant, ut vulgo ambitiosi,

sed

ſed imitantur. Nulla poſt tot ſæculorum intervalla, tot provocatos & depulſos labores, accepta opum hæreditate, præter itinera maris ac vias, præter contemptum undarum ac tempeſtatum, denique nihil præter id quod hoſtis eſt, & eidem ferro extorquetur. Animi eorum invicti ſunt & inconcuſſi, tori vero indomabiles & compacti corporis lacerti. In vultu nihil ejus formæ, quam elegantiarum arbitri ſuſpiciunt; maſcula omnia viri inveniunt & admirantur. Nam habitant eorum oculos non niſi procellæ & tempeſtates. Cutis iis non mollis, non curata, ſed quam adſperſam nimbis, ventis iterum ſiccatam, ſubinde à propinquo ſole ambuſtam, laboris omnis patientia induravit. Nullis major membrorum alacritas aut uſus. Illi non tam incedere, quam ſcandere per tranſtra & foros, non tranſire loca ſed transferri; via uti quæ ipſis pedum veſtigiis ſit minor; denique unius digiti articulo totá corporis molem ſuſpendere, librare. Et credibile eſt

lapſuros ipſa pice juvari. qua, velut ceruſſa & pigmentis aulicæ matronæ, non tegumenta tantum virorum adſperſa ſunt, ſed ora: ut glaſto olim infecti Britannorum vultus; & majorum noſtrorum ſanguis, Heruli ac Getæ, præter haſtas & vim contorum, coloratas etiam genas in terrorem hoſtibus inferebant. Cætera remus, bolis, & dolo, & unius cultelli uncus, puerorum crepundia ſunt & virorum arma. Nam eiſdem artibus etiam parvuli, inter navium, velut cunarum, agitationes, imbuuntur; dum plerique in ipſo mari concepti, editi, non tam patria, quam mari diſtinguuntur; &, quia patriam quiſque amat, mari delectantur. Procul nutriculis aut amotis, a quibus ad ſpeculi præſcriptum & umbram, eorum, quæ viri ſunt, obliti, plerique educamur. Et credibile eſt Oceano, velut regno ſuo, mille inter diſcrimina, accendi eos & animari. Ubi ſe attollunt cœli injuriæ & fluctus decumani, quaſi cum natura ipſa ac cœlo viri congredi-

um-

untur; ventos regunt ac tempestates. Nec umbratico certamine, aut in pugilis schola, sed inter dissidia cœli ac terrarum, inter atrocissimos Oceani motus, Heroum virtutibus imbuuntur, in orea, in carinarum modico & unius ulnæ cubili. in quo ingentes illæ animæ agunt, ut in spelæis suis nobilissimæ ferarum. Cum pugnandum, non exspectant hostem sed quærunt; cum quo commissi non septemplici clypeo aut parma, quæ sæpe virtutis tantum simulachra sunt inter ignavos, sed nudo pectore & exposito, quod animi ac virtutis robur firmavit, utuntur. Præter enim bipennem unam aut pugionem, æs aliud ac ferrum virtutis credunt impedimenta. Armis omnes feriunt, non teguntur. Hostem victum non credunt, nisi mersum aut mactatum. Hispanum inprimis, quem ut excrementum Oceani ac fæcem, ut scrofam, aliisq; vocabulis, insectantur. Nec enim pugnamus in modestiæ legem, dum ipsam virorum linguam ac faeundiam

diam hic usurpamus. Qua cum in ipso prœlio ac acie invicem se accendunt, longe inferiora sunt, quæcunque Græcorum aut Romanorum eloquentiam professi de vi dicendi tradidere. Cæterum nunquam, nisi apud hostem, æstimatores sui sunt aut ambitiosi. cum nempe in adversam transgressi navem, ut suam, dejici anchoras & submitti vela, se, velut rege ac principe, coram, cruore eorum qui ceciderint adspersi, vultu ad animi ac felicitatis magnitudinem composito, jubent. Post quæ se ostendit avaritia viri, sed laudabilis, & virtutis etiam ante prœlium inter cordatissimos fax ac incitamentum. Prædam ipsam ac spolia loquor. Ad quæ, tanquam ad ercíscundam hæreditatem, concurrunt, & alii dupondii, quidam tripondii, trientis alii aut dodrantis, non ex tabularum, quas cadentes illic aut superstites non consignant, sed industriæ & alacritatis lege, potiuntur. Mox prodigi aut liberales, dum acceptum aurum aut argentum, velut

velut possidentibus nociturum, ut Seianus olim equus & aurum Tolosæ, inter conjugum ac liberorum gratulationes, inter delitias unius mensæ, & vini aliquot cantharos, perire sibi læti patiuntur. Nunquam divites, etiam cum plurima possident. Non sane quod esse non possint, sed quod nolint. Pugnare desinunt, præda accepta; ea absumpta iterum cum hoste congrediuntur; pari semper ac eadem virorum inopia & virtute. Agnoscitis hic vos, Auditores, non quidem priscorum Heroum sanguinem ac genus, sed ausu ac magnitudine virtutis eos jã supergressos; qui quos sibi natura maris ac terrarum, & gentium limites posuit non ponunt sibi; qui Asiam ad nos transvehunt, & Africam & Europam, & quidquid in Americano orbe novi æstimamus; à quîs, post jacta libertatis nostræ fundamenta, post tanquam februis purgatum domesticum mare, ipsę Herculis columnæ concussæ sunt ac Gades; denique Indus ipse visitati & Ganges,

ges,alia longe Batavorum horrea, quam Sicilia olim & Ægyptus populi Romani. Agnoſcitis Heemskerkii, & Heinii vexilla ac diſciplinam ſequutos, & poſteros eorum aut alumnos. Agnoſcitis denique, quorum beneficio jam triumfamus. Enimvero ex præſentibus etiam futura æſtimamus. Superavimus extremos & maximi terroris hoſtium conatus, ſeu petierint clauſtra patriæ & portus, benificia naturæ; ſeu Amiſiam & proxima Friſiorum, ad turbandum Oceani noſtri ſeptentrionem, repetitis Romanorum conſiliis, quorum Germanicus Imperator, eo ex loco, velut opportuna ſede, cognatos majorum noſtrorum Cheruſcos & Cattos, reliquaſque inter Rhenum & Albim validiſſimas nationes, feliciſſime olim debellavit. Superavimus exerçitum numero & juventute gentis terrentem ipſam famam, & Hiſpaniæ, raro aut ab infæcundis habitatæ, auximus ſterilitatem. Plerique, non tam ſanguis, quam fæx & pus Maurorum, inter ſor-
des

des navium ac pedorem ante pugnam sunt exstincti; undis alii, quidam ferro hausti; carceres alii, velut examina, implevere, relicto ignaviæ æterno monimento, dum victi fere sunt priusquam pugnarent. Perdita denique classis est, opinione omnium invicta; jacturâ hostium incomparabili, quibus a materia struendarum navium defectis & arte, plerisque exutis, non Germanicum mare, non Orientem aut Occidentem, partim jam nostrum, adire integrum posthac erit aut fatigare. Agnoscimus enim non modo hujus Reipublicæ, sed & sociorum quoque res per quæcunque maria, quascunque terras, una hac victoria augeri. Et, si quis cladis, si quis felicitatis nostræ ac suæ sensus sit penes maria, penes accolas ac dissitos amnes, & profunda aquarum, credibile est cadavera mersorum ejecta in littus Cantabrici, cladem, & superstitum fugam, aut vincula testari; credibile est lachrymis matrum ac conjugum, ob carissima pignora sublata, acescere

Ibe-

Iberum ipsum & Tagum; denique Catalauniæ Sichorim ac Teram, commota jam ad Perpinianum Gallorum signis, harum quoque rerum fama terreri. Quin Danubius etiam & Visurgis, quos victricia Suedorum signa ipse jam implevere aut fiducia libertatis, ad regnatricis vim domus, tot tantisque Austriacorum suppetiis profligatis, magis depellendam animantur. Scaldis quoque ipse & Lisa Belgarum, tanta olim pace majorũ navigati amnes, pulsis Hispanis, aut prohibitis, aut attritis, sperant jam ac gestiunt Rhenum nostrum & Vahalim & Mosam, tot Nassoviorum Principum victoriis promovendis fluentes famulantesque, mutuis iterum commerciis & animis undisque confusis tandem amplecti. Post quæ restat, ut, indulgentia cœli, pacatis domi rebus, Hispaniam ipsam pariter invecti ac Bætim, caput rerum & totius terrarum orbis calamitatis ac bellorum sedem invadamus. Nec ad doman-

dam eam ducentis nobis annis o-
ut quondam populo Romano;
non per intervalla longi temporis
piramenta, ſed uno ictu, florem
entutis Hiſpanicæ ac nobilitatis;
ugam impellimus ante neceſſita-
, ad deditionem pene ante certa-
n; qui claſſem, qualem Oceanus
nunquam vidit, armis viriſque far-
n, turribus ac tabulatis ſupra colles
ſtros exſtantem, fulmina tantum
tonitrua machinarum vehentem,
ſpectatam diu, ſed oblatam præter
ſpectationem, ab aliis fruſtra domi
ntatam, tot annorum inter hoſtes
borem, tot rerum ſpem, metum vi-
inorum ac terrorem, ipſum ſuperbæ
gentis ſpiritum ac ambitionem, impa-
es longe numero ac pene nulli, modi-
cò noſtrorum damno aut nullo, quà-
les ante pugnam, tales poſt victoriam,
integri ipſi & illæſi, totam debella-
mus.

MAR-

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

AD

BELGAS,

Hispano adhuc parentes,

SASSA GANDAVENSI,

auspiciis

FOEDERATI BELGII

ORDINUM,

Ductu

FREDERICI HENRICI,

Arausionensium Principis,

expugnatâ.

FOEDERATI ET LIBERI

BELGÆ

LOQUUNTUR.

ORATIO IV.



Elgas vos, sed dubium quo nobis nomine appellandos, Belgæ convenimus. Consangui-

guineos nostros & Cognatos, ut iisdem majoribus ortos; Fratres olim & Amicos, cum aut diversos singuli principes, aut eundem omnes, iisdem pro libertate studiis conjunctis, agnovimus; nunc contra hostes, dum septuaginta fere annorum intestino pariter ac externo bello, inaudita inter eos contumacia, quos & natura, & caussa, & mutua commoda esse jubebant conjunctissimos, maxime autem vestra, collidimur: & communem patriam quaqua, sed nos inviti, cruentamus: Fratres iterum nostros & Amicos, si, quod nobis idem vobiscum sanguis, necessitas vobis præscribunt, pulcherrima & toti Belgarum imperio haud dubie profutura vota nostra audiuntur. Hostium nomine vos jam adire haud debuimus, quos volumus amicos; illud autem antiquum & dulcissimum, quod Fratrum & Amicorum est, usurpare, patientia, vel, quod potius sperandum est, hæsitatio vestra nondum sinunt.

Co-

est, diuturnique hujus belli finis semper fuit, ut multis magnisque tempestatibus afflictos vos, & in ultimam perniciem haud dubie jam vergentes, ad felicitatis nostræ exemplum non modo, sed etiam usum, neque ad spem, sed certissimam salutis fiduciam, pacem societatemque nostram, tristissima servitute à cervicibus vestris depulsa, vocaremus. Vos quidem, si quid in vobis vel exempli superfit vel sanguinis majorum, integram & incorruptam Belgarum indolem hic in nobis agnoscitis; quam non modo ad curam custodiamque libertatis suæ, sed etiam alienæ, Belgarum maxime, ipsa natura restrinxit. In hac autem publica lætitia nostrorum, post amnes vestros, quos præcipua imperii munimenta habebatis, superatos, post captam in Flandria, pollentissima, quas Belgium vestrum habet, ditionum, securitatis vestræ, quam inaccessam & invictam credideratis, arcē ac sedem, capita rerum vestra-

rum

tum reliqua concussa & commota, turbatasque adeo domi res vestras, ut vix amplius dubium sit, an domestica vobis vitia, an oppugnantium virtutes opesque, tot vestrarum tantarumque, recentissimarum cumprimis, & quæ majores jam instant, cladium sint auctores. Subiit nos vestri quoque cura & miseratio, quamquam, quo excipiendus esset pompæ ingenio revertens à felicissima expeditione militiæ nostræ imperator, nunquam alias nobis, tot ejus officiis, laboribus, periculis, proximis maxime, obstrictis & obligatis, solicitius aut intentius fuerit cogitandum. Sed cum infra rerum ejus fastigium longe posita sint, quæ instruendæ triumphali pompæ vel ipsa principum arrogantia, vel privatorum pietas aut adulatio plurima hactenus invenit; neque ejus modestiæ sit, velle ambitiose coli, sicut ejus prope solius est supra omnes retro duces eminere; & præter agnitam Dei immortalis pacem, præterque testes publi-

cæ

cæ lętitię ignes, qui nunquam frequentiores arsere, nihil hic nobis præscripserit innocentia aut parcimonia majorũ; & quod potissimum est, in animis nostris, velut templis, dedicatam tot ejus pulcherrimorũ operum imaginem circumferamus, sic sibi à nobis satis fieri facile patietur, solitus semper post victoriam de ambitione etiam modestiâ triumphare. Erat quoq; religio nobis & cum nulli apud cordatos quoq; triumphi fuerint civilium bellorum, & ex cognato sanguine hausto voluptatẽ quærere aut capere, non sit Belgarum, ex afflictissimis arctissimisque vestris rebus novi ac immodesti triũphi quærere noluimus occasionem. Sed nos illa magis cupido exercet, uti quocunque modo, & quamprimum, respublica vestra adjuvetur. Horum enim, quę nos agitant, bellorum cum nulla hactenus apud vos præmia fuerint, omnia mala, & per ea jam pridem amissa sint, quæ multis laboribus & periculis, multaque innocentia capta majores vestri nascentibus

vobis cum anima simul tradidere: pax cum vicinis populis, in bellum versa per tot annos duodecennii spatio male dilatū; libertas cedere miserrimæ servituti jussa; domus & familia in patria clarissuma, externis, neque æstimati domi, ad supremos honores, contra avitas leges, evectis, bonæ artes & honestæ divitiæ, paupertate, avaritia externa, ac tot annorum cladibus absumtæ; cumque atrocior casus, nisi optimo consilio & necessario ausu antevertitis, jam jam pavendus sit, non profecto flagitium nunc à vobis, neque malum facinus petimus, sed uti libertatem eversam prope jam ab occasu restituatis. Torpere ultra & polluendam perdendamque Rempubl. relinquere, sopor & ignavia videretur, etiamsi vobis quam inhonesta, tam tuta servitus esset, acerrimis adversarum rerum stimulis exploratis. Tot per annos victores, quod egregium nobis putamus, omnia vobis decora publicæ tranquillitatis offerimus. Ipsa illa li-

bertas nostra, pressa olim & tantum non enectá atrocissimâ, quæ vobis adhuc fæda manet, servitute, agere caussam suam contra potentissimum tunc Europæ regem ausa, cum omnium egens & ab omnibus deserta nihil posset sperare, per varios initio casus, & infinita rerum discrimina, dein anniversarios fere triumphos, ad justam &, quantam optare possumus, magnitudinem enisa ac provecta, tot jam lauris redimita, nec armata, sed, cum amplissimo suæ domi pacis ac omnium ejus bonorum comitatu, placida ad vos venit, & dextera olivam, vetus pacis insigne, prætendit, ac, cum in insulis nostris aliisve ditionibus anguste habitet, & ad gloriam nihil præter liberrimum Belgarum totum nomen desideret, apud vos quoque, recepta se & agnita, felicissime gestit imperare. Nec vobis suspecta sint, aut adversa consilia nostra videantur, quorum hic alius animus, alius in campo est; alius cum

 obsti-

obstinatos vos & hostes, alius cum afflictos & cognatos; alius cum tantum miseros, alius cum etiam pereuntes cogitamus; & qui quos in ipsa pugnâ odimus, post eam feliciter pugnatam, amamus. vos certe, quos ubi amare non licuit, cum vellemus, aliquamdiu odisse debuimus, ut aliquando amaremus. Natura ipsa pro votorum nostrorum innocentia pronuntiat. Neque difficulter adnuunt, qui ad sui & suorum amorem vocantur. Steterint tot per annos iratæ acies; hauserit Belga sanguinem Belgarum, gesta sint, quæcunque hostile odium meditatur, credi sane adversi haud possunt, à quibus, licet post tot mala, præcipua gentium bona, pax & libertas, jam vobis offeruntur. Si in cœlum usque laudibus feratur clementia eorum, qui, quos ferro fregerant, subjectis pepercere; qui non, modo haud sint professi odium sui, primo hostes, dein amicos libenter agnoverint, qui, cum expeditionibus imponere possint ulti-

num diem, jam victos, si ipsi ve-
, ad rerum felicissimè à se gesta-
ı usum vocant ac communionem.
que est quod de fide nostrâ dubi-
is, cum amandos vos esse nobis
n hic necessitas præscribat, sed a-
or; quod ipsum infucati ac sanctis-
ıi est argumentum: nec de constan-
ı, cum hæc Respub. domi septem-
ıce illo ac indissolubili nodo aduf-
ıe totius terrarum orbis stuporem
ommendata; foris vero omnium,
uotquot amant & tuentur suam aut
liorum libertatem, principum po-
ulorumve fœderibus illigata, nulla
erfidiæ notâ sit insignis. Nec de
umma hujus consilii diu vobis labo-
randum est. Eo necessitatis jam apud
vos ventum est, ut suadere, quod o-
porteat, non multi laboris sit. Sim-
plicissime ergo inter nos hodie, &
Belgæ, loquemur; blanditiæ, pessi-
mum veri affectus venenum, aberunt;
& quæcunque assentatione sola sine
affectu, aut odio, peraguntur. Diu vos

morari non est temporis hujus: si bellum modo, auctores ejus, mala, quæ tot jam annis vos pressere, & ultima manent, nullæ ad avertenda opes, certissima pax ejectis ejuratisque ejus auctoribus, quam id utile Reipubl., vobis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit, æstimetis, omne consilium impletum est; nisi quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. Uni impares, eadem jam tempestate, Gallorum & nostro, implicati estis, iis auctoribus, à quibus, post opes vestras consumptas, aut prope nullas, nullâ auxilii reliquâ spe, discrimen tamen ac pericula bellorum vobis relinquuntur. Nos olim, diversis septem supra decem gentium vocabulis, ut sedibus, non animo aut odiis, divisi, commerciis contra & promiscuis matrimoniis, velut unus idemque populus, conjuncti, & altissimam pacem, & florentissimum, ut ea erant tempora, imperium, inter parata pro libertate mutua

ia præsidia, domi habebamus. Si principum aut ambitio, aut furo, vel etiam petulantia bella fat, necessitas pacis, & iccirco stun; ac Belgarum consensus, statim nxere. Gesta idem qui cœperat anplerumque finivit. Tum meliorem ace, quam bello, nos habere caussa credidimus. Vestra nos contucia, diuturno huic &, si Hispanon apud vos vota valent, æterno, per quissimam eorum dominationem, voluti sumus. Neque enim tam ex bis caussas dissentiendi habuimus, iam illorum imperio: qui, ne jam dimus singula, ad quæ horror anium subit quoties recordamur, quæ obis etiam detestata prope unicum & tristissimum annalium nostrorum sunt rgumemtum; tot innocentissimorum hominum millibus, nunquam auditâ immanitate, trucidatis, cruento passim Belgio & maculato; quæ scelera alii, remedia vocabant; falsis nominibus severitatem pro sævitia, suppli-

cia nostra & contumelias, & quot prope Belgas tot rogos & cruces, disciplinam appellabant, quam dum fortiter nos excutimus, vos fæda inconstantia, mutatis animis, patientius fertis, in diversa hæc studia scissi sumus. Mansit tamen nobis vestri amor; bellum modo adversatum est; pertinaciam vestram oppugnavimus, non salutem; &, quâ fruebamur, florentissima libertas; vosque etiam complecti cupiens, odisse nos servitutem vestram hactenus coëgit. Nec enim de parte finium vobiscum ambigimus; aut vestras injurias, sed Hispanorum querimur, qui ut vobis servitutis ita nobis omnibus intestini hujus belli, vobis autem infelicissimi, soli sunt auctores. Neque profecto aliorum ambitionem, cujus spe omnia Europæ regna jam devorata sunt, Gallicum superioribus annis intulisse vobis credendum est. Quid enim aliud Ludovici Regis indicentis bellum vobis litteræ aperuere? Securitati Gallorum perfida, & versipellis il-

la,

la, quod de Carthagine olim dictum est, Hispania insidiata est; pacta & conventa sociorum turbavit; Belgæ innocentes, sed quia Hispanorum sunt, plectuntur. Aut fallimur, aut facile agnoscitis bellorum auctores. Utinam non foveretis? Quid vero ipsa? quid per illa in Belgio tot jam annis à vobis profectum? Neque nocere hostibus, neque tueri vos valuistis. Tot expeditionibus, tantis vestris Hispanorum que adhuc pollentium, impensis, quid, hercle, aliud actum est, quàm ut continuo fere victi, post tot maribus nostris classes immissas, tot terra exercitus eductos, tot classibus fractis ac mer-, tot urbibus, tot claustris imperii stri & munimentis, passim captis, omnibus domi forisque opibus exhausti, illis fulti alienis, & prope inermes, acta scrutantes aut in hostium, qui: jam omnia aperta sunt, lubidine fi-, aut in sola miseratione nostra præum rerum vestrarum inveniretis? líte privatorum, tot civium, tot a-

grestium, tot necessitudinum vestrarum, anniversarias clades, quæ non minus publicæ sunt, cum florentibus illorum rebus hæc etiam adjuvetur. Obeuntibus vobis vestras, aut partim vestras, Belgii regiones, quid præter urbes & castella pluria amissa, quam defensa; littora, cum voluimus, obsessa; terrâ, etiam cum destinata oppugnantibus non procederent, semper immensis cladibus ditiones afflictas; earum intima, & bellorum injuriis olim excepta, limites imperii; agrorum vastitiem; raros, post anni spem, post agrestium mapalia & casas toties eversa, cultores; cineres pro florentibus vicis; municipia aut oppida, aperto posita loco, deformia, deserta; clausa, à metuentium tantâ pallentiumque multitudine, quantâ civium, habitata; commerciorum jam longum silentium; otiosas artificum manus, & interim esurientem domi, aut mendicantem; aut alias quærentem sedes matrum ac parvulorum gregem; (& immensa jam spon-

ſponte aut ex deſperatione exulantium multitudo ſedes noſtras læta implevit) calamitatis denique omnis egeſtatiſque triſtiſſima ac frequentiſſima ſpectacula, offeretur? Sint porro ante oculos, ſtipendiis haud ſolutis, fluxa ducum auctoritas, nulla jam prope militiæ diſciplina, rupta omnis ſacramenti reverentia: quo fit, ut tot fere, quotquot ſigna veſtra ſequuntur, mendicos urbes veſtræ videant, agri fures, & latrones, ac, quod ſupra omnia mala eſt, impunitos, & nondum damnata exempla; ut barbarus, quem ex Germania, quam attrivit pridem ac evertit, plerumque neceſſitas vocat, ad Rhenum veſtrum, aut Moſam, aut Liviam, pacatiſſimos olim & tot ſcelerum neſcios amnes, non ſecus atque Dravum ſuum Savumve ſlex agat, & ad prædam cædeſque veſtrorum, non opem veniſſe videatur. Neque enim illi modo vobis hoſtes ſunt, qui bellum inferunt, ſed qui vobis merent. Nec ullum ma-

jus calamitatis indicium eſt quam ab auxiliis oppugnari. quæ præcipua, nam id inſtat, irati & deſperantis vulgi ſunt turbamenta. Si apud vos, quos neque nota mala veſtra fallere poſſunt, neq; occulta, nobis, quos etiamnum hoſtes creditis,non ſit fides;inveniet certe ille, qui adhuc veſter, & præcipuo inter vos loco, (nam nomini apud ſervientes parcendum eſt) cum pacem Belgarum bello anteferret, an non,quæſumus vos,jam tum ex vero il-
„ la? Horreat ſermo, ſi ad tabulam &
„ memoriam, clades, funera, &
„ quantum mali invectum eſt, revo-
„ cem. Homines & ipſi agri gemunt,
„ populi & urbes; pacemque preci-
„ bus & votis flagitant; otio & quie-
„ te digni, quia tam ſævam tempe-
„ ſtatem patienter tulere. Pietatis mu-
„ nus eſt, otii ac quietis cauſſâ ſuſcipe-
„ re;ut ſi malis modus non ſit,ſit ſum-
„ ptibus, qui omne jam belli pretium
„ & quidquid bello petitur,excedunt.
„ Ærarium maximum,& quod fundo
caret,

t, exhaustum est. Thesauri pene -
imerabiles profusi: lassa liberali- "
& adhuc miles eget, hosti simi- "
& urbibus agrisque infestus Re- "
quia arida & sicca stipendiorum "
ı. Necessitas legē non habet, ne- "
tamen fœdiori flagitio ad rapi- "
, an dedecore ad mendicitatem "
ndiarii Regii, Martis alumni, ve- "
t. Vt concedam corrigi hæc pos- "
iid paucis tamen insulis omnium "
orum vectigalia, tributa impen- "
ur? Si recte calculum ponimus, "
anti victoria est: & adhuc pug- "
ıs? Hęc olim, & gravissima vobis "
ıia horum bellorum sunt. Quæ "
nunc, post tot novas incompa- "
:s clades, quæ cum annis singulis
s & multò grauiores ac pene
ltimæ, cum vix alias pati possi-
ecurrêre? quæ post Catalaunię,
ısitanię, & tot in India ditionum
:iones, per quas Regię opes, sem-
ıbis juvandis impares, nunc nul-
ue Hispani sanguinis miles, vobis
offer-

runtur? Quæ, post tot domi mala, tot vulnera, quibus ipsa imperii vestri, si id imperium dicendum sit, vitalia jam petuntur? Quæ post Atrebatum (nam recentissimorum hic sufficit meminisse) à Gallis captam, superbam illam & munitissimam non modo Artesiæ, sed totius Gallobelgici tractus, eumque longe nunc lateque infestantem, civitatem? Quæ post cæsam ab iis & deletam, memorabili illo ad Rocroiam prælio, exercitatissimam militiæ vestræ manum? quæ post eam victoriam statim sequutam Theodonis Villæ, quæ urbs Lutzenburgiorum caput est, deditionem? Quæ post Grevelingam, portu & operibus nobilissimam, pari felicitate expugnatam? Quæ post castella tot, tot aggeres, limites, amnes rivosque, per quæ inviam hostibus viam credideratis, unius, velut fulminis, impetu superata, denique omnia irrumpentium ferro ac flammis, aut tributa imperantibus, reclusa ac aperta? Quæ post maxi-

maximi terroris Hiſpanicam claſſem, annorum opus, nullo noſtrorum damno, ad Cantii littus captam aut diſſipatam? poſt, ſola privatorum manu velut februis, purgatum, & piratis veſtris clauſum domeſticum mare? Quæ denique, poſt invictum vobis habitum Gandenſis Cataractæ munimentum, tot caſtella proxima, ſub ditionem noſtram nunc redacta; inerrantia ſigna noſtra penitiſſimis Flandriæ oris; fertiliſſimos VVaſiæ campos, ipſum velut uber fæcunditatis, cum volumus vectigales; denique Antwerpiam Gandamque, florentiſſimas Belgii veſtri & quarum fulturis reliquę omnes ſuſtinentur, civitates, terrore ac metu undique obſeſſas & prope jam captas deſperatione? Nec enim præter hanc quidquam vobis reſtat; unumque id ad ſalutem vobis ſupereſt, ut poſt omnem fiduciam vobis ablatam, poſt nullas ad ſecuritatem latebras, rebus veſtris diffidatis. Non enim eſt, quod aut malorum remedia,

aut

aut feliciora tempora ex vobis vel Rege vestro exspectetis. Qui florentiores uni nostro bello impares semper inventi estis; quomodo, qui post tot annorum tabem enervati, exsangues, propius ab exitio jam abestis; ex duobus maximi metus, nostro Gallorumque, instantem tempestatem avertetis? Hispania autem, ægra ipsa, saucia, & validissimis artubus spoliata quomodo opem feret vobis laborantibus? Si quidem ferre possit; cur in tempore, cur afflictissimis jam, & toties supplicibus, idoneam non tulit? cum tamen sui in Belgio imperii conservationem inter præcipua semper consilia habuisse credatur. Haud unquam terruere nos, neque vos fallant, vana nomina, complexi totius pene orbis imperium tituli, Indiarum domini, & per Asiam atque Africam late longeque regnantes Philippi, legentium tantum terricula-menta. Cum soli, cum nullis opibus nostris, modicis alienis, &, ut sic dicamus, pene nulli, bellum contra

eos integros, potentissimos, & universæ Europæ formidatos, ac in Belgio totius prope orbis viribus nos oppugnantes, pro libertate nostra gereremus, caput tamen repente extulimus, & plerumque victores novum nobis, & statis apud Principes legationibus mutuisque fœderibus agnitum, &,quod invidia audiat, longe florentissimum asseruimus principatum. Quid ex illo ergo, domi oppugnato; & vix suam in Hispania tuente dominationem, atque, ut nunc alia prætermittamus, in isto orbe, quem solum habuit semper opulentiæ suæ fundum, paucorum annorum spatio, nec publicis, sed privatis nostrorum, qui in Occidentem Indiæ navigant, armis, duobus supra septuaginta auri millionibus exuto, porro vel sperandum vobis, vel nobis metuendum est? Quid ex socia Austriorum domo? quam illæ Rakocii nuperæ in Hungariam irruptiones, & major ex Ibrahimo Ottomanno metus; captus per hos dies à Gallis

Gallis Rhenus; & inhærentes tot jam annis Germaniæ visceribus illæ longe lateque victrices Sueonum legiones, ita distinent ac exercent, ut trepidare tantum & metuere sibi possit, quæ pridem omnes potuit terrere. Neque vos fallant vanæ imagines velut redituræ illius fortunæ, quæ, tantum ut calamitates vestras differret, & diutius vexatos facilius opprimeret, inter hos bellorum motus, vel nostris vitiis, vel ne quidem sperata vobis felicitate, subinde conclamatis jam rebus vestris adesse & favere visa est. Nunquam illa nobis Gallisve plus in vos permisit. Ad eam apud vos publicam privatamque egestatem ventum est, ut diutius vinci à vobis aut sisti possimus, quam vos vincere. Nos annis superioribus ad Calloam acti in fugam simus; vanæ fuerint susceptæ tot in VVasiam expeditiones; alia nunc via ea nobis patefacta est. Neque sane ullis adversæ magis magnæ & ambitiosæ spes sunt, quam his, quorum lapsis,

psis, quales vestræ sunt, rebus sola desperatione consulitur. At pacem forte vos respicitis, sicut totius tot per annos suorum sanguine ita madentis, ut sua jam agnosci facie non possit, Europæ, sic vestra etiam vulnera sanaturam. Sed illa vestra jam letalia sunt; & dum eam respicitis, quæ tantis desideriis & tam diu, cum injuriæ ex injuriis trahantur, nequicquam optata, quæ semper tarda est, bello perituri estis. Addite, quos dominos adhuc agnoscitis, Hispanorum ingenia: qui cum, immensa illa cupidine invadendi regna aliena, neque datæ Leges pacis observent, neque acceptæ, meliores cautioresque populi aut principes æterna cum iis bella malunt, quam, sub specie pacis ac larva, injurias & damna bellorum. Quid ad illius ergo spem vos confugitis; pereuntes jam Belgæ, (quod vobis nomen hic non ambitio facit aut ira, sed vestra fortuna) quæ, si forte, veniet sera, incerta, non duratura. Nihil profecto jam consilii super-

supereſt, niſi ut veſtrum vobis imperium, Hiſpanorum, qui noſtrum in vos ferrum acuunt, quamprimum exuto, junctiſque nobis dextris, pacem vobis domi afferatis. Quod, hercle, ut æquiſſimum ac facillimum factu, ita vobis ultima neceſſitate preſſis ſalutare, & apud poſteros genteſque omnes glorioſum erit. Nec jam dicendus nobis totius terrarum orbis, qui ipſis non regnatur, conſenſus. quo omnium hoſtes judicati haud abſurdum foret ſi vobis etiam viderentur. Sed, cum aliæ cogant & ſufficiant rationes, forte invitis vobis aut diſſimulantibus hæc gratis dicerentur. Si enim natura ipſa, & populorum omnium judicia ac leges unicuique ut neceſſariam maxime ac ſanctiſſimam mandaverint curam ſalutis ſuæ & ſuorum; & ſub Hiſpanorum regno, quod jam facile agnoſcitis, vos ſalvi eſſe haud poſſitis: ſi etiam principum ſit, ſubditorum capita & fortunas contra vim omnem idonea ope tueri, eaque expreſſa aut tacita lege

ſub-

subditi omnes consenserint in principum dominationes; vobis autem inter gravissima hæc bella, aut ex vobis, aut Rege vestro non tantum non adsit ullum auxilium, sed ne quidem amplius possit sperari; quis non æquissimum illud facinus pronuntiaverit? à necessitate inevitabili, & quæ nullas alias nunc accipit leges; ab omnium maximo metu ac terrore, cujus & gravissimæ & præsentissimæ sunt rationes; ab ipsis illis aris vestris & sacrariis templorum, quibus, etiamsi velint, plerumque parcere non possunt victricis & adhuc iratæ multitudinis clementissimi duces; ab ipsa Republ., quæ jam prope nulla vobis, brevi, si non auditis hæc(quod profecto custos ille Belgici nominis Deus haud sirit)hostium erit; à majoribus vestris, sanctissimis & fortissimis viris, ac eadem olim ausis, quorum nunc cineres non quiescunt, & tumuli materies sunt obsidentium vos vallorum; à conjugibus vestris, quibus ob imminentia grave est aut genuisse vobis,

bis, aut jam ferre uteri onus; ab ipsis parvulis vestris, quorum, ante ipsum pedum usum, patriam vobiscum ac cunas suas fugientum, exilia ac vagitus, (si vel tormentorum circumsonantium fragor, vel à tergo instantium armatorum strepitus ac minæ, audire jam sinant) ad parandum innocentiæ suæ unicum hoc præsidium vocant, impellunt; ab ipsis manibus tot civium, tot contubernalium vestrorum & commilitonum, qui pro patria fortiter pugnantes, sed in nullum rei usum, ambitiosa tantum morte inclaruere; vosque ne vana & illicita sequamini per conjugum suarum viduitates, per orbitates liberorum, rogant ac hortantur ab illa prope immensa fertilium camporum, solo suorum sanguine diffluentium, vastitate; ab ipsis illis inanimis tot arcibus & tectis, quæ superbe olim structa ut erant amplitudinis majorum vestrorum, ita nunc ferro ac flammis deformia in exitium euntiũ posterorum sunt monumenta; ab ipsa deni-

denique inaudita vestra, & quæ inter maxima exempla admirationi semper erit; tot annorum, tot malorum patientia, post publica omnia & privata certatim impensa à vobis, jam consumpta, imperatũ ac commendatum. Eo quippe nostrum Gallorumq; bellũ exstinctum, & nullum vobis ex Hispano metuendum erit. Neq; enim terra illi ad vos via mari autem, etiam vestrorum publico nunc judicio, neminẽ nos ferre possumus superiorem. Et, quid tandem factu vobis promptius faciliusvè? cum modica Hispanorũ sit in Belgio manus, gratia prope nulla; audentibus vero vobis paratissima auxilia; &, quamprimũ vultis, accinctus pro vobis fortissimus, neque prudentię aut sollertiæ artibus minor felicissimusque militię nostrę imperator. In cujus laudibus, quanquam id nunc non agentibus nobis, hic velut in transcursu haud silendum est primum illud castrorum silentium, quo recentissimæ expeditionis initium transegit. Nemo unquam ignavia (veremur ne improbe dicamus) tanta gessit;

ſit; nemo inertia & quiete plus unquam adverſum eos, quibus primus tantum impetus metuitur, tarda, quibus ſuæ tandem adſunt occaſiones, non æſtimantur, profecit. quem longæ, ut credideratis, deſidiæ indormientem, repente velut excitatum obſtupuiſtis. Nempe id negotium illi in otio illo primo, in quiete labor, & in ſomno, ut ſic dixerimus, vigilia fuit, ut vitia veſtra foveret; ut, exoleſcente metu, ſecuros vos & prope negligentes ac non exſpectantes, & ne exſpectantes quidem, ac velut deſidem illum intemperanter lacerantes, ex improviſo opprimeret, gnarus ad cladem proximos eſſe, qui metuere adverſos dedidicere. cujus juſſu mox natatu tranſmiſſi ſunt munitiſſimi Flandriæ veſtræ amnes; quo tandẽ intelligeretis, omnia eſſe vobis intuta, nihil contra clauſum nobis: quorum bella non tantum ambulare ad vos poſſunt, ſed etiam navigare; nec navigare tantum, ſed etiam natare. Majorum exemplo, à quibus,

bus, sepositis olim à Romanis in militiæ usum, haud aliter quam sagittis & telis, præcipuum nandi studium fuit. quo arma equosque regentes, domi integris turmis Rhenum, in Britannia ipsum mare, in Pannonia etiam Danubium, superavere; ita repente, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves exspectaverant, nihil arduum aut invium crediderint sic ad bella euntibus. Soranus Batavus, olim gregarius stipendia merens sub Romanis, non suo sed ipso augusto Adriani Cæsaris ore, quasi de victo natatu Danubio triumphat, posterosque provocat ad imitationem, ac prope de eâ desperat. Hujus ac similium nos posteri sumus; quorum neque sanguis hebet in nobis, neque industria defecit. Fuerint olim ulminatrices, aut alio aliquo nomine iperbæ & insignes, sunt nobis & mirant Natatrices legiones; ex quibus lecti nuper pauci ea felicissime ausi nt, quæ vos metuere non poteratis; ım, præter fossæ latitudinem, obsta-

rent etiam plurimæ turres, aggeres, ſtationes. Quæ ſingula excutere irrupturis mentem poterant, & ſolo adſpectu frangere promptiſſimorum audaciam, ſi aliis, quam nobis, opponerentur, Quid editiſſimo vallo, aliiſque vallo adſtructis inſtructiſve operibus caſtra incredibili celeritate & ex arte incluſa dicemus? Nam paucorum adeo dierum ille labor fuit, ut multiplices iſtos varioſque circuitus & antractus, totque ac editas adeo & conjunctiſſimas munimentorum moles intuentibus, ipſa terrarum planities velut è gremio ſuo raptim edidiſſe colles monteſve videretur. Quid iterum ipſum Ducem? quid venerabilem ſenis canitiem, & indefeſſam juvenis alacritatem? cum in illo imperatorio ſuo opere totus, aſſiduus, dierum noctiumque terminis confuſis, neque ſomno, neque corpori vacaret, quo tamen etiam animus ſuſtinetur. Quid conſtantiam illam animi ac magnitudinem inauditam? qua contractis undique veſtris

vestris copiis, totque ducibus, ipso etiam Octavio Comite Picolominæo, tot in Germania expeditionibus clarissimo, evocatis, cum jam è nostrorum tentoriis adspicerentur, eam hæsitationem eumve terrorem injecit, ut nihil ausi rerum ab eo pulcherrime gestarum testes tantum fuerint & spectatores. Hic nobis miles est, hic militiæ imperator. Horum virtute, post Mosam & Rhenum triumphatum, post validissimas Brabantiæ, Gelriæ aliasque urbes captas, post coercitum passim intrà arctissimos limites vestrum imperium, in Brabantia Gelriaque prope nullum; Rubiconem Flandriæ vestræ nunc superavimus. quæ, ipsâ vestrorum confessione, deliciæ horreumque Belgii, è qua bello vires haud ægre aliquando reparatæ, quæque commeatum copiis, sumptus Principi, ducibus militem hactenus suggessit. Horum manu in ipso quasi ejus meditullio erecta libertatis signa sunt; ur ad ea volitantia non concurritis?

E 2 cur

cur metuere mavultis, quam amare? exitium per ea inferri, quam securitatem? Horum enim virtutes ac manus vestræ sunt, si vultis. Horum auxilio vos eximite periculis, & , ejecto milite ac sanguine externo, vos, dum licet, asserite in libertatem. Tantum incepto opus est: quid ergo cum auctoribus servitutis ipsam servitutem in Castellæ suæ solitudines, velut perpetuum exilium, relegare dubitatis? Ea, hercle, sola ad pacem & certissima via est. Quod si vobiscum patria, quos liberos gignere voluit, nec oppressa potuit, atque parentes, quos fortissimos illa genuit viros in præsidium libertatis, & posteri, quibus detestata erit vestra illa tam longâ servilis patientia, possent loqui, non alia dicerent. Quippe si morbo jam aut fato huic imperio vestro secus accidat, cui dubium est, quin per agros urbesque vestras, major, si quidem esse possit major, vastitas, & ultima omnium pernicies brevi oriantur. Sub alieno victoris imperio cur

&

liberi minus & sic miseri esse vultis,
iam felicissimi, socii & fratres eo-
m, quibus ad ultimam vobis infe-
ndam cladem deest nihil, si modo ve-
it instare. Nisi aliam mentem vo-
s salutis vestra cura dederit, ipsa
i inanima tecta, quæ ultrix flam-
porro absumet; ipsi illi campi, qui-
s tantum jam sanguinis datum est
ustumque, & plus haurietur; ipsi illi
iore vestro decolores futuri amnes;
e illæ orbitates, quæ imminent, &
uitates; denique ipsa cruentissimi
vastantis omnia Martis rabies, quam
placidissima quidem ducum ingenia
umque possunt moderari, omnibus
ilis & inter omnes hanc contuma-
i vestram detestabuntur. Neque
i constantia erit, sed pertinax per-
li voluntas. Quod si contra bona
s fuerit lubido, patriæ, parentibus,
s, posteris gratificandi, Republ.
uta, supra omnes casus fortuna
a erit. Proinde si qu d in vobis co-
i sanguinis sit & vestri, si qu s amor

non jam dicemus nostri, sed vestri; si perire nolitis; si quæ supersint exempla vobis magnitudinis & innocentiæ majorum; si quæ eorum miseratio, qui post venturi; si qua his fides, qui amicos quam hostes, pacem, quam bellum malunt; si denique cura aut æstimatio aliqua obviæ, & in amplexus vestros euntis, ac infucatæ libertatis, cum cœlo & terra duratura pax jubeatur. Qui enim ad hanc usque diem ita desideria nostra discrevimus, ut aliis salutem nostram, aliis ultionem vestram Deo immortali curæ esse vellemus; quo, fractis vestris rebus & sic evictâ contumacia, majorum consensus, & antiqua, id est, felicia & pacata tempora vobis posterisque vestris aliquando redderentur; nunc, post septuaginta fere annorum bellum, jam longe lateque, Hispanorum in Belgio imperii claustris quaqua perfractis & apertis, victores, nullâ necessitate sola Belgici nominis miseratione impulsi, odiis simul armisque depositis, si quidem vos velitis,

velitis, quorum maxime intereſt, noſtram nunc ſimul ac veſtram ſalutem iiſdem, &, quanta eſſe poſſunt, ſanctiſſimis votis conjungimus; ac has pacis, omnibus optatæ, vobis etiam neceſſariæ, offerimus conditiones, & vetere Belgarum, quæ optima eſt, fide obſignamus: CUM COELO ET TERRA DURATURA PAX BELGARUM ESTO. LIBERTATEM AC SUAS LEGES, EOSDEM AMICOS AC INIMICOS OMNES HABENTO; COMMUNES ARCENTO, BELLO AC PACE INVICEM SE JUVANTO, ATQUE UT COGNATOS OBSERVANTO. INJURIAM FACTAM NON QUERUNTOR, NEQUE, SI QUID ANTE HUNC DIEM FACTUM EST, OBJICIUNTO VINDICANTOVE, AUT ULLO ALIO GENERE PERSEQUENDUM CURANTO; In hæc verba fœdere compoſito, arma deponimus; &, ne reſidua in animis etiam poſt jusjurandum ira remaneat, pręterita oſculo abolemus.

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO PANEGYRICA

DE

BELGARUM PACE.

ORATIO V.

RES nostræ, quibus totius fere sæculi bello pari constantia ac felicitate gestis per cæteras gentes clarissimi sumus, Auditores, dum aut libertatem nostram adversum armatos armis tuemur, aut maria ac flumina & terras, quæ inter nos & hostes erant, invecti ac egressi, non hic tantum, sed in alio etiam ignotoque quondam orbe, imperium hoc, quod initio modicum, longe amplissimum fecimus, si plurimum gaudii huic Reipub. adtulerint, & disertissimo-

rum

rum hominum ora identidem hic recluserint, nunc potissimum magnis lætisque animis nos esse necesse est, & expressa tandem potentissimo hosti, qua nulla major est gentium gloria, libertatis nostræ confessione, &, quæ in hominum rebus felicitas summa est, pace simul data: quæ cum triumphorum omnium finis, & potior omnibus ac major sit, omnes illos, ac omnia, quæ humani generis commoda & bona sunt, sibi includit. Scio dicturo nunc mihi nihil ingenii, nihil facundiæ esse, sed fide & judicio pro Repub. nemini vestrûm concedo. Ego etiam, velut in castris, inter classica natus & eductus, & per horum bellorum injurias cum ferro ac fame luctatus obsessus puer, & ingentium cladum calamitatumque, vastationum ac solitudinum, quas hæc bella fecere, & ad quarum memoriam etiam nunc percellitur animus, spectator aut pars ipse, & odisse jam pridem bellum didici, &

pacis bona æstimare. Totius ergo prope sæculi, dubium Belgarumne illud Hispanorunque, an Europæ propemodum omnis bellum appellandum, inde inter maximos formidatosque omnibus reges Philippos, altera manu orientis, altera occidentis terrarum orbis opes ac imperium complexos, hinc inter populum situ modicum; & majore pro libertate animo, quam potentia instructum, varia fortuna, sed plerumque libertati æquiore, gestũ pace & agnita nostra libertate exstinctum est, Auditores. Quippe, tot gentium aut armis, aut pecunia, certe animis & consiliis, administratum, quasi uno in Belgio de Europæ imperio dimicaretur: mirantibus plerisque, etiam sapientibus & expertis rerum, unde nova repente Fœderatorum Respub. tam augustum extulerit caput; quæ armis indies prævalida, superiorem pati nec terra nec mari potuerit; quæ magnis per Oceanum classibus ad remotissimos terrarum tractus colonias invexe-

vexerit; quæ ſtatis apud principes legationibus, mutuiſque fœderibus, neque minorem ſe regibus ferens, novum ſibi in Europa aſſeruerit principatum; unde eorum inter aſſiduas bellorum tempeſtates ac procellas alendo bello non loci minus, quàm hominum pertinacia; plane ut in alias terras peregrinari Mars, ac circumferre bellum, hic fixiſſe ſedē hactenus videretur Non hæc Belgarum aut noſtra jactantia eſt, Auditores, ſed ipſa hoſtium judicia ac confeſſio; quæ tanquam legitimas & teſtes veri tabulas recitamus. Bellum, cujus eędem majoribus noſtris cauſſæ fuere, quæ ipſis innocentię & libertatis; ſæva principum juſſa, aut eorum, qui, pro repertis juratiſque pro libertate noſtra legibus, dominationem quæ ſine fine eſt, & ſic ſuam ſuadebant; inde continuæ accuſationes, pernicies innocentium, & læſæ Dei ac Principum majeſtatis unicum eorum crimen, quibus tot rogos, tot cruces ſtruxit qui crimine vacabant. Bellum, cujus

primo non alia addicentia majoribus nostris auspicia fuere, quã innocentiæ; neque ductus alius, quam ultimæ necessitatis; neque opes aliæ, quam à majoribus acceptus, & iniquitate temporum magis magisque auctus animus, sive vivendi in libertate, sive moriendi ante servitutem; non sociæ aliæ, non auxiliares copiæ, nisi posteri, nisi nos ipsi, quorum singulorum cogitatio, totidem iis fuere velut legiones; cum ingentibus eorum animis, quamquam inter discrimina infinita, & longe minores spes quam metus, immotum staret aut posteros omnino non habere, aut iisdem tradere vel integram & intactam, hæreditatem majorum, vel misere quidem cruentatam, & jugulo confossam prostratamque, sed spirantem adhuc tamen, & mox feliciter ac augustiorem surrecturam; nec posthac lædendam, eorum beneficium, libertatem. Bellum, in quo primo non mercenarius miles, qui ad vulnera conductus & mortem denis, aut paucioribus,

in

in diem assibus animam & corpus patitur æstimari, sed rudes & inexperti, nisi quæ species legum domi fecerat, bellorum cives, nullo alio quam libertatis pretio vocati ad signa, inusitata & qualia tantum Heroum sunt, facinora edidere: quorum omnium ut memoria, ita hujus inprimis loci cogitatio & adspectus me percellit. in quo, clauso undique & obsesso, cives, cum spes omnis deficeret, cum ablatæ terra fluminibus viæ cœlo quærerentur, & negato hominum ad socios ministerio, avium uterentur, & inusitata fames, ac macies, & pallor singulorum domos, haud aliter ac urbem hostes, lactantium etiam ubera & parvulorum cunas domi obsiderant, constantiam, quam deditionem, solâ libertatis caussa, maluere. Bellum dehinc, aucta nobis domi potentia, & quidquid opum Hispania ac virium habet, certatim ingentibus exercitibus & classibus in Belgium effuso, magni terroris, & continuum; nisi

quod

quod duodecim annorum otio semel male dilatum, ut majus & atrocius resurgeret: quo trium ingentium Nassaviorum Principum, Guiljelmi, Mauritii, Frederici, inaudita virtute, constantia pro nobis ac fide, & rara felicitate, imperio hoc longe lateque, & sub alio etiam sole, promoto, quot fere militiæ annos, tot, inter pauca adversa, nobilissimas victorias & triumphos numeramus quorum magnitudinem data tandem à potentissimo Rege, & finem, accepta nobis pax ostendit. Quippe res nostras circumspicientibus nobis, quaqua distracto jam & afflicto hoste, majora quidem bello capere posse incrementa, sed non necessaria nobis, & injusta bella, quia jam non necessaria, damnatis quæ ambitiosorum tantum sunt consiliis, innocentiæ nostræ videbantur. Et sane pacis tantum caussa bellum gerebamus. Belgium quoque non nostrum, ad invidiam olim florentissimum, per has bello-

rum

rum tempestates misere afflictum, emaciatum, exhaustum, tot in eo consanguineos nostros & propinquos, fortunis suis ac sedibus ejectos, inter tot & cum singulis annis redeuntes suas calamitates non nisi Dei ac hominum, & nostram inprimis pacem rogantes, cogitantium modestiæ & pietati grave erat, eosdem nos & vincere & flere. Debebamus quoque, &, ut tanto augustior esset hujus belli finis, Europæ, in qua provinciæ omnes, regna, maria, terræque aspera aut fessa bellis jam sunt, primi, quo nullum magis nunc necessarium est, exemplum, posse gravissima etiam & diu tracta gentium odia aut bella pacis, si quidem ejus desiderium sit & amor, dulcedine ac opulentia mutari. Neque bellum tantum, & quæ ex eo majora instabant calamitates ac mala, sic finiuntur, sed præterita etiam, tanquam nulla, & nulla partium odia fuerint, excisa omni eorum me-

moria, & æterna oblivione imperata, exſtinguuntur. Quidquid ergo vel odium, vel amor illuſtrium ingeniorum monumentis inſcripſit, quidquid vel accepta clades victo, vel victori data expreſſit, una pacis velut litura expungimus nunc & delemus. Maneant tamen, & ad poſteros non noſtros modo, ſed & aliorum, eant ac durent ſemper, rerum, quæ proximo ſæculo maximæ in Belgio geſtæ ſunt, ſine ira ac ſtudio conditi annales. Neque ſane alium in finem, quam ut & in æternitate famæ ſuum iis præmium ſuperſit, qui virtute ſua, conſtantia ac fide, ſanguine etiam, feliciſſima hæc nobis tempora dedere; & inſpecta ac agnita immenſa illa imagine ac ſpecie malorum, quæ florentiſſimas Belgii ditiones per tot jam annos afflixere, pacem tanto conſtantius amemus. Neque profecto magnarum virtutum aut rerum ſterilia erunt pacis hæc tempora; & gratiſſimum illa quoque dabunt, neque amplum minus quam

bella,

bella, annalium argumentum. In quibus humanitatis, constantiae ac fidei alia atque alia, indies autem majora, magis magisque coituris utrimq; animis, certamina ac exempla legemus. Ingentia alii bella, expugnationes urbium, fusos captosq; duces, & madentes aut infectos sanguine campos commemorent quae legentium animos terrent semper ac percellunt; nos Philippi posthac, maximi Principis, augustum, & quo majus esse non potest, pro libertate nostra judicium; totius Belgii & Hispaniae claustra nobis reserata; maria littoribus, & littora maribus reddita; patriam cuique & majorum opes restituta; totius prope seculi terrorem omnem ac metum pace, velut praelio, profligatos; securitatem omnium confirmatam; senibus anteactę & pręteritę, viris statę suę nec movendę aetatis, infantibus, si quidem horum capere jam possint, ut frui possunt, temporum felicitatem, adolescentię & juventutis, juvenibus senectutis, matribus, quibus detestata pridem

dem hæc bella sunt, numerosæ sobolis; sterili fæcunditatis, viduo accælibi conjugii desiderium pace injectum, inter ipsa statim Annalium nostrorum, quos ab hac desideratissimæ pacis æra inchoabimus, initia dicemus. Addite, affinitates, cognationes, propinquitates Belgarum, hactenus laceras, divisas, divulsas, ac pene ignotas & sublatas, nunc conjunctas; commercia eorumdem, qui bello distracti ne quidem ejusdem sanguinis aut nominis, aut eundem jam orbem habitare videbantur, restaurata; tot de præcedentium annorum iniquitate, quæ haud adsimiles victis fecit, triumphos, quot pacatorum, quæ æterna speramus, temporum momenta erunt; vias, quæ inaccessæ aut clausæ, itinera, quæ impedita hactenus & obsessa, tanquam Belgæ ut monstra Belgas arcerent, aperta & pervia; itinera, non quo horror aut pallor aut metus, sed quo faventes venti & marini æstus, animus quemque suus, & desiderium ferent; Villas & pagos ac aperta cam-

camporum ad instar urbium, urbes, quæ natura aut opere validissimæ ne quidẽ munimenta jam erant, potissimum pace munita; eâdem pro salute omnium, ante fores omniũ, excubante securos omnium, etiã Tityri & Galateæ, in tugurio, in ovili, sub pyro aut fago somnos; neq; alium eorũ finem, quam quem facturus est galli cantus; vigilias, nõ quas formido, sed cura & privata industria ac solicitudo cuiq; indicent; ejectos spelæis sylvarũ nostrarũ ac excussos, qui in perniciem hominũ ea haud aliter quam belluę insederant; insidias, non quę homini, ut hactenus, sed quę lepori aut avi struuntur; agris, quos omnium fertilissimos ad sterilitatẽ bella damnaverant, redditam ubertatem, nec illos hominũ sanguine posthac, sed molli tantum & matutino, aut alio imbre rigandos, nec alia illorũ quã lolium forte aut alia naturę mala; casas & tuguria & prędia infinitę agrestiũ multitudinis, quæ quisq; corruptâ aut nulla militię disciplinâ, nõ ut sua, sed aliena habitabat aut deserebat,

rebat, incolentium jam præsidia & arces; messem tantum ejus, qui fecerit sementem, nec quantam reliquerit prædo aut miles, sed quantam dederit campus; plena & farta & angusta jam horrea; tantum in agro subigendo, in ligone, aut vomere ferri usum; nihil auferendum posthac cuiquam, nisi quod jus hospitii, quod amor, quod liberalitas dederint; virgines ac conjuges omnibus, nisi maritorum aut sponsorum, osculis intactas; cunarum denique & infantium pacem, quos hactenus lamenta matrum & ejulatus vix, ac ne vix quidem, adversus vim & latrocinia defendêre. Addite, muta etiam illa & inanima, pacis ac opulentiæ majorum nostrorum tot monumenta, velut è pedore ac situ ruderibusque suis passim surrectura. Addite, testamenta nostra posthac secura; neque alios, quam nostros hæredes; nec alios, quam quos ipsæ præscribunt leges, acquirendi rerum dominii modos; fiscum, quem avarum & divitem priorum temporum odia

odia fecerant, liberalem, & quæ rapuerat aliena dominis reddentem; non alias quam in foro, & raras, & de tigno tantum aut stillicidio lites; nec alios judices, quam leges; nec alias quam urbanorum & rusticorum prædiorum servitutes. Addite, (immensa enim illa pacis bona circumspicientem me par gaudium confundit) decus suum studiis, honorem sapientiæ magistris, omnes bonas artes, velut retractas ab exilio, quod bellorum injuriæ indixerant, brevi reditura. quæ pacis tantum & humanitatis alumnæ, ejusdem gremio iterum exceptæ, stylo & calamo, imprimis ad prodendam eorum memoriam, quorum virtuti bona hæc debent, se accingent, ac injurias omnes oblivionis gratæ & alacriores posthac expugnabūt. Addite, remittēda dehinc domi vectigalia & tributa, quibus novis & inauditis ante nominibus in immensum auctis plerumq; Belgarum tantum clades aut mortes, & egestatem civium, id est, mala ipsi nostra, iniquo cer-

te

te pretio, emebamus. Addite, annos deinceps fastosque, non cladibus datis aut acceptis, sed sola pace insignes ac confusos; nisi quod majora indies & aucta, & alia atque alia pacis bona priores à sequentibus distinguent; nullos nisi siccos, & quos natura aut fatum dabunt, vivendi fines; nullas lachrymas, nisi quas exprimet deterrima priorum infelicium temporum comparatio, & gaudii felicitatisque nostræ inusitata, ignota hactenus magnitudo; non alia vota, quam ut bonum, quod accepimus, maneat nobis æternum; non alia quam priorum temporum & bellorum odia; nullos, nisi quos sors humana non declinat, nisi necessarios, & pro æternitate pacis facturos, & sanctissimos ex legibus metus, spes autem omnino nullas, cum haud dubie non tantum infelicitatis quædam pars sit, metuere, sed etiã sperare, & accepto, quod in hominum rebus pręcipuum est, pacis bono, nec plura, nec majora sperare vel possimus vel etiam

etiam velimus. Addite, reddita & posthac innoxia nobis ac faventia tantum ipsa rerum & naturæ elementa; carceribus, in quibus cũ pædore colluctabantur, reclusis, redditum tot passim captis patrii aut domestici aeris usum; aquam, maria & flumina, etiam dissita, navigaturis in Asiam & Africam, & Europam, & ignotos, si qui forte restent, orbes opibus virisque nostris, nisi per procellas & tempestates, non infesta; non urbiũ, non villarũ jam incendia aut busta, sed innoxios, & foventes, & adversus hybernos algores tantum datos aut repertos ignes; neq; alia posthac, quã cadentia cœlo tonitrua & fulmina, tacituris aut non spectandis in posterum, quæ naturæ rerum adversa, & ex his emissa sedibus, humani generis exscindendi libido invenit. Addite deniq;, Belgicam aut Germaniam hanc nostram, olim sub diversis principibus aut pacatam, aut, sed brevibus odiis ac bellis, discordem, sub Burgundis & Austriacis in unius imperii corpus coalescentem ac conjunctam, civili aut externo, aut ex utroq;

mixto iterum divulsam, unius nunc non domini, sed pacis imperio ac legibus feliciter subjectam, & inter tot aliorum contumacia certamina ac odia, qui satis superque cruentati adhuc tamen se cruentant, quod rarissimum & inexpertum plerisque gentibus, nullos jam nostros hostes. Hæc, & alia pacis ac Belgarum jam bona, &, nisi majorum in nobis sanguis & constantia ac fides hebent, æterna, & omnium qui post nos erunt Belgarum futura sunt. Si, quantum mihi nunc animi, & spei & gaudii est, tantum facundiæ esset, Auditores, pulcherrimam, & quavis triumphorum pompa, quibusvis eorum tabulis & ferculis majorem, quam cogitatione certissimam complexus sum, imaginem hic vobis repræsentarem. Belgas, tanquam alios jam & mutatos, tanquam aliorum, non Belgarum, & in alio orbe gestum esset illud tanti terroris, tot annorum bellum. Eosdem velut ruptis vinculis, quibus tanquam capti hactenus constrin-

ſtringebantur, velut relegatos hactenus, ab inſulis aut exilio revocatos, ad patrios lares, ſive ut habitent, ſive ut ſpectent tantum, redeuntes; quorum obviam comitatem nulla nunc clauſtra excludunt; quorum ultro citroque commeantium frequentia velut una in urbe, in eadem familia ac domo, omnes jam conjungit; in itinere ac via lachrymæ ſalutantium, ſed quas gaudium elicit, euntium & redeuntium veſtigia turbant aut confundunt; liberales tantum, & longos &, quia per tot annorum intervalla prope illicitos, ſine tædio, ſermones & jocos, nulla præteritæ fortunæ memoria, tanquam in poteſtate noſtra eſſet, tam facile oblviviſci poſſe, quam tacere. Rogat quiſque multa & quærit, & poſt commercia, non jam dicam hominum, ſed cognatorum, tot per annos impedita, plures fere & utrimque ſunt, qui rogant; nec jam ſermonem nox abrumpit aut ſomnus, ſed cum exhauſtum eſt, quod roges. O-

 ſcula

ſcula eorum et amplexus, quæ non quia gravia aut inviſa, ſed quia quotidiana, quia multa, quia continua jam ſunt, fatigant, & a fatigatis tamen plura expetuntur. Confuſa & indiſtincta hoſpitiorum jura, dum eodem animo, eadem pace & excipiunt omnes & excipiuntur. quæ, & alia, ſingulorum oculis promptius & majora, quam auribus, offeruntur. Neque ſane alia dicenda mihi nunc reſtant, quam vota, quorum etiam matrum noſtrarum domi deſideria, & parvulorum noſtrorum vagitus, haud dubiam habent ſignificationem; Vt, cum felicitatem noſtram abſolvere ac perficere non hominum tantum, ſed inprimis Dei pacem intelligamus, propitius placatuſque res ac vota Belgarũ, & hanc eorum pacem reſpiciat; ut, ſi qui Sinones, aut machinatores doli ſint, in exitiũ ſtruentibus vertat, ſi quæ inſidiæ, ſi quæ ſcelera, quæ in obſcuro ſunt & difficulter evitantur, ſanctiſſimo pacis nomine velentur, pro ſalute noſtra, pro innocentia,

sentia, pro rerum nostrarum constantia ac æternitate, fulmine ferroq; armatæ, in limite, in gremio hujus imperii ac sinu, terra marique, & in circumfluentibus amnibus, excubent illæ, quas hæc coram audire & adesse accinctas, instructas, ordinatas, nunc intelligo, signorum nostrorum semper comites, & tot victoriarum sociæ, illæ hominum, &, quod inprimis hic poscimus, rogamus, Belgarum custodes, velut innocentiæ nostræ ac fidei pretio conductæ, merentesq; nobis, non prima, vel tertia aut vicesima, sed omnes Angelorum legiones. Vt, cum plerumque etiam invictas neque fractas bello gentes exuat atque enervet sive otii sive pacis illa dulcedo, maneat nobis, ac duret, & in posteros nostros nepotesque transeat animus ac judicium majorum, qui constantia summa, providentia ac fide, lætissima hæc nobis tempora dedere; Vt hac tempestate, quæ fæcunda religionum est & sterilis pietatis, qua ad opiniones hominum

& deliria aut commenta, tanquam ad nova signa novasque aquilas certatim, armis etiam, quibus florentissimæ validissimæque jam exscinduntur gentes, concurritur; qua caussam Dei agere videri volunt, qui agunt immensæ ambitionis & suam; aris nostris & altaribus, quæ pro hoc datæ pacis beneficio grati quotidie obsidebimus, pax sua immota, æterna consistat; Ut, cum plerumque amoto externo bello, aut externi metu, (tanquam vitia facilius aut scelera pax ferat, quam bellum, cum tamen minus ferat) mala omnis libido, avaritia, ambitio, potentiorum de imperio certamina, arbitriũ potius hominum & homines quam leges, imperent (felicium fere mala, quæ turbant inprimis domi pacem ac convellunt) quovis bello nocentiorem, & quam ista post se vitia trahunt, civium discordiam arceat; Ut nec alio animo, nec alio libertatis aut pacis studio, bonam quam malam fortunam ferre nos sinat; Ut, tot cęsis, tot pla-

placandæ exuli & redituræ, ut reversę, jam paci velut victimis tot per annos mactatis, desideriis & osculis matrum nostrarum faveat, & à toris nostris averruncet injurias omnes sterilitatis; Ut, cum pluribus pacem bellum hactenus negaverit, plures sint ac gaudeant, qui pace fruantur; Ut tot annorum & invisitatam majoribus nostris in agris solitudinem ac vastitatem, tot furta & latrocinia, tot terrore imperata eorum otia, tot hominum ac pecudũ abactus, rara fæcunditate ac frequentia compenset; Vt, cum eo plerique omnes animo simus, qui libertatem à licentia, quę otium ac pacem à desidia & ignavia nõ distinguat, (invitus ego ea tanquã vulnera nunc tango, sed nisi tacta tractataque sanari non possunt) his vitiis bellũ, & nulla unquam pace finiendum, ipsa hæc pax indicat; Ut in nostra domi modestia, in ipsa hostium (quanquam nec jam hostium) & nostrorum constantia ac fide (de quibus publice ac magnifice pronunciatum Romæ olim,

NULLAM GENTEM FIDE ESSE ANTE GERMANOS) miles, tormenta, arma & omnis velut belli apparatus sint, pro conservanda non nobis tantum, sed & tradenda posteris nostris, pacis hujus æternitate; Ut cum, quod grave ac peracerbum per tot annos plurimis fuit, & homines non dicam pati, sed audire vix possunt, hac lege tueri pauperes visus sit miles, ut spoliaret; hac lege defendere miseros, ut defendendo faceret miseriores, omnibus ac omnium fortunis deinceps præsidium sit in sanctissima & incorrupta pacis disciplina; Ut, cum hactenus Belgæ sine Belgarum clade aut exitio salvi esse non potuerint, secundęque aliorum res aliis adversæ & velut supplicium fuerint, neque pauciores subinde felices sibi visi sint, nisi multo plures essent infelices, ita posthac unicuique sufficiat felicitas sua, ut, quo nihil justius, nihil humanius, nihil Belgarum ingenio dignius est, etiam alium velit esse felicem; Ut,

Ut,ſicut nos pacis cauſſa per tot tempeſtates & diſcrimina bellorum tracti, rapti, jactati, uſu bona pacis hactenus ignoramus,ita poſteri ſemper ignorent quæ haud dubie infinita, ſicut infinita pacis bona ſunt,mala bellorum. Quidni enim ut deſiderium,ita cura quoque poſterorum ac amor vel imprimis nunc nos tangat?in quibus cũ reddendi nos ipſi toties ac redituri ſimus, eorum cõmoda & bona, ac diverſa, haud alia quam noſtra, merito æſtimamus.Denique non hominum tantum,quibuſcum humanitas nos conjungit,aut Chriſtiani nominis,aut ſociorũ, fœderatorum, vicinorum, quæ velut propinquitatum cognationumque inter gentes ſunt vocabula,ſed Belgarum etiam cauſſa, qui neque felices videri ſibi poſſunt, ſi ſint ſoli,ſi ſoli famulantẽ votis & voluptatibus ſuis habeant hanc rerũ ſecundarũ & pacis tranquillitatem; neque ſecuri, terrentibus è proximo aut longinquo incendiis tot adhuc paſſim flagrantium bellorum; neque læti,cum tot lugen-

tes, tot ſordidatas atrataſque Europæ omnis nationes circumſpiciunt; idem numen, cujus non improvidentia aut neglectu, ſed juſtitia, ſed judicio, ſed æquiſſima diſpenſatione hæc immitti gentibus mala agnoſcimus, ac eodem animo, & tanquam pro nobis, nec minoribus ſuppliciis, convenimus, rogamus, & quaſi publica omnium Belgarum voce obteſtamur; Vt Regibus omnibus, principibus ac populis, Europæ inprimis noſtræ, indat mentem humani divinique juris, & bonorum pacis intelligentem; Ut qui eos conſiliis regunt, non offerant aut commendent niſi illa ſanctiſſimæ & deſideratiſſimæ pacis; Vt Ferdinandi Cæſaris, inter tot alia Auſtriacorum Principum decora, ea auguſta, & qua major eſſe non poteſt, claritudo ſit, compreſſiſſe pace tot jam annorum & atrociſſimas in Germania bellorum tempeſtates, quæ floren tiſſimæ olim gentis viſcera & vitalia per tot prælia, tot clades, tot cæſa, tot ejecta, tot attrita

trita

trita hominum millia, ita exedêre, ut nisi desinant brevi ac avertantur, obstupefacti ad fatalem illam obstinationem posteri, miraturi sint, homines prius in Germania, quam odia, militem, quam bella defecisse; Vt Ludovici decimi quarti, Galliarum Regis Christianissimi, quanquam longe lateque triumphalem adolescentiam, commendent tamen præcipue expleta tot senum, tot adultorum pro pace desideria ac vota, primi omnium ac nobilissimi triumphi; quo, post Henricum Magnum avum, Ludovicum Iustum patrem, novo & nemini priorum Regum tributo nomine, PACATOR VTRIUSQUE GERMANIAE celebretur. quæ cum medullam, ut ille loquitur, omnis Europæ, & uber totius fæcunditatis, nec solũ fæcunditatis, sed quæ præponi interdum fæcunditati solent, voluptatis, jocunditatis, pulchritudinis, haberent, omni illo, quo se commendabant olim, cultu non tam deposito, quam, inter tot jam annorum

norum gravissima bella, exutæ ac spoliatæ, squallidæ & toto corpore perfossæ ac cruentatæ, ad genua ejus supplices procumbunt, & per vetustissima cognationis ac sanctissima semper jura; per Francorum, qui è gremio Germaniæ olim progressi in Gallia sedes posuere, per Caroli Magni, ex se orti, & conjuncti in Gallia Germaniaque florentissimi quondam ejus imperii, memoriam; per tot tantaque jam mala sua, quibus graviora neq; inferri possunt, neque tolerari, & quorum hactenus remedia non alia sunt, quàm mala; Per quot homines, à quibus non jam habitantur, sed imperata jà tam longo, à tam atroci bello necessitate, premuntur aut deseruntur; tot qui quotidie vel miserrimos faciunt, vel fiunt; Per latronũ ubique excubiis omnes admodum calles, omnes anfractus, ac diverticula omnia, septa ac infesta; tot laqueos, tot insidias, quot itinera sunt & viæ; Per tot principes, qui subditos, tot subditos; qui principes suos,
exu-

exules, extorres, desertos, egenos, ignorãt; inter quos inprimis Palatinorũ Principum augusta domus, illa indulgentissima olim exulum Belgarum hospita, sed ipsa, & tot per annos, jam exul ac prope exspes, votorum pietati nunc offertur; Per tot florentissimas frequentissimasque civitates, hominum nuper, ferarum nunc latibula & sedes; Per nudata ipsa jam ossa, & lentam, sed prope exsanguem & letalem maciem ac tabem, per deniq; quidquid superest Germaniæ deficientis, in qua nunc superest nemo, qui non aut perit, aut perditos ac pereuntes suos luget; Ludovici pacem, unicum fessis ac fatiscentibus rebus suis subsidium, implorant; Vt augusta illa Suedorum virgo aut Amazon, quæ majores suas, virgines Scytharum aut Getarum principes, cujus fortissimæ vetustissimęque gentis non virtus modo sed & nomen Suedis mansit, Tamyrin, aliasque cum Cyro olim aliisque potentissimis regibus magnis animis & præliis congressas,

æquavit magnitudine rerum ac imperii aut ſuperavit, tot victoriis ſuis, tot triumphis, imponat ſupremum pace diem, ac magni Guſtavi ſui, quem in Germanias pax earum & libertas afflicta ac prope enecta evocavit, cui rara & ab omni retro memoria inaudita felicitate aut virtute quot prælia fuere, tot triumphi, quem mors fato propera, & in ipſa acie, pro Germaniæ pace pugnantem ac libertate, virtus ſua haud dubie cœlo vendicavit, expleat tandem feliciter & abſolvat Dei ac hominum pacem merituras deſtinationes; Vt denique, ſi quas jam Europæ gentes trahant inteſtina, pejora longe externis, & quæ nullos triumphos habent, bella ac depaſcant, imprimis proximam & reginam inſularum Britanniam, illam tot jam per annos, & inter ipſa ſtatim horum, quæ nunc finiuntur, bellorum initia amicam noſtram & ſociam, domi foriſque hactenus invictam, ſed nunc hoſtem ſibi, & ſuorum tantum ſanguine madentem, reges proceresque ac

ſub-

jectos regibus, inprimis Carolum, principem augustissimum, cum suis pace conjungat. Exempli certe, quod in rerum suarum principibus tot jam pridem desiderant bellorum tædio nationes, & nisi obstet rectoris omnium ira in res humanas brevi illi sequentur, gloria penes Belgas erit.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO,

In excessum

ILLUSTRISSIMI ET

SPLENDIDISSIMI

PRINCIPIS,

CONSTANTINI ALEXANDRI,

Principis Ostrogiæ, Ducis Zaslaviæ, &c.

ORATIO VI.

QUanquam istæ sedes nostræ, plurimorum Principum pace ac præsentia semper æstimatæ, nullum hodierno majus aut illustrius unquam extulerint funus; & mihi omnia sint infra amplitudinē ejus, de quo dicturus sum argumenti; tamen aut veniam admodum nunc poscere, aut teme-

meritatis culpam deprecari, mihi non est necesse. Equidem, qualecunq; hoc & destinatione haud dubiè inferius futurum pietatis nostræ officium petere quidem ille dignatus est, qui poterat jubere; quem præsentem hic spectatis, mœstum, atratum, & in tanta frequentia vestra, nihil præter unum illum germanum suum desiderantem; ac illustrissimis & conjunctissimis manibus aliquo saltem pacto satisfieri hic maluit quam à nobis, quæ exsequi non possumus, magna exspectare. Qui solâ obsequii gloria superbi nunc & contenti, non tã magnitudine casus, cum & principes sint mortales, quam exempli, quo vix ullum majus est, animos vestros intramus. Est id CONSTANTINI ALEXANDRI, Ostrogiorum & Zaslavię Principis; in cujus splendidissimę gentis nomine, quanquam hic loci peregrino, inusitatę virtutis ac glorię exempla domesticis majora omnes inventuri estis. Nam si origines eorum inspicere liceat quorum finem, & vitam,

quo-

quorum excessum memoramus, in utroque profecto est, cui sccumbere hic debeat facundia etiam disertissimorum. Neque, Hercule, erit aut præter hanc pompam principalium exequiarum, aut instituti nostri sanctitatem, majorum ejus, non jam ex sepulchris cineres & ossa, sed fidissimorum annalium memoria heroica & prodigiosa facinora repræsentari. Quippe, sive paternam ejus, sive maternam gentem inspiciamus, per tot Ostrogię & Zaslavię florentissimos Principes, ex omnium antiquissimo potentissimorum Russiæ Ducum sanguine, non interrupta unquam serie, raro nunc inter Europæos Principes exemplo, ortum hunc trahere inveniemus, Quorum res jam ab octingentis retro sæculis, dum imperium Poloni, & Russi utrimque agitant, summo peregrinorum domesticorumque annalium consensu passim celebrantur. Et cum in eorum singulis rarissimæ quædam, bello aut pace, illu-

xerint virtutes, est id quidem commune omnium beneficium, id decus, ea claritudo, quod illam longè lateque se porrigentem & vastissimam desertissimamque olim totius Russiæ ditionem, tot pagis, vicis, civitatibus, hac quoque clarissimis tempestate, auctam, optimis etiam legibus ac institutis, & egregia quadem imperii ac obsequii disciplina, rudibus ante populi ingeniis, continuò reddiderint, & supra proximarum gentium gloriam evexerint cultiorem. Cæterum eorum potentissimus anno sexagesimo supra sæculum Christiani nominis octavum Curicus laudatur. Ejus filius Georgius, cum per tot gentes solus amplissimi imperii potiretur; omnium augustissimo Monarchæ titulo est salutatus. Ex eo natus Suentoslaus, post compressos domi rebelles, & compositas res imperii intestinis discordiis turbatas, cum Græcorum Imperatoribus sæpius ferro decrevit, & supra septuaginta ad Danubiũ validissimis arcibus expugnatis veterum illorum

rum ducum gloriam longè excessit, quorum res in miraculum corruptas Græci aut Romani majori eloquentia, quam fide celebravere. Hæredem ille imperii Volodimirum habuit, qui post Premissliam & Cervenam Polonorum Regi Miecislao, post Corsonam Græcis bello aversam, Constantini & Basilii, Græcorum Imperatorum, sorore in matrimonium acceptâ, eâ quidem lege ut perdita gentium ac majorum sacra ejuraret, sanctissimam, Christianorum disciplinam ampxus eâdem domi imperata aut persuasa, omnium maximo ac vere immortali beneficio suos sibi obstrinxit. Sed præter templa, ac cultum Græcorum exornata, ab eo primo Græcæ in Russiam litteræ ac disciplinæ invectæ; evocata ad hæc eadem ex gente omnis generis artificum manu, majorum suorum exempla ac merita longissime superavit. Erant huic filii duodecim, iisdemque universam Russiam, in totidem divisam ditiones, assignavit. Sed fratres ambi-

ambitione discordes, suisque haud contenti, aliena invalere; adeo ut Davidi, Volodimiri abnepoti, Volodimiria & Volinia exuto, præter Ostrogiam, arcesque aliquot & urbes, nihil relinqueretur. Hic primus Ostrogiæ nomen feliciter usurpatum ad posteros splendidissimum transmisit. Pronepos ejus Daniel, cum Romano fratre, Volodimiriam & Voliniam, paterna bona, ferro iterum invasit, suoque insuper imperio Belsensem, Kioviensem, Haliciensem Ducatus adjecit; cumque vastissimi Heros esset animi, rem ausus supra titulos & modestiam majorum, Regem se Russiæ annuente Pontificis legato, renunciandum curavit. Tandem Basilius, Theodoreti filius, in duos, quos genuerat, cum in unum omnia conferri nollet, in Ivanum quidem Ostrogiam, in Georgium Zaslaviam dividendas decrevit. Tum ex una stirpe duæ Ostrogiorum & Zaslaviorum enatæ, ducentis prope annis, omnis ævi maximos Heroas edi-

edidêre. Quomodo autem silentio hic prætermittam illum omnium sæculorum memoria dignissimum Constantinum, Palatinum Trocensem, eundemque fortissimum belli ducem? qui tres ingentes Tartarorum exercitus totidem præliis ad Sluckum fudit; & ad Canoviam viginti sex millia eorum ad internecionem delevit; qui de Moscis toties triumphavit; & ab iis aliquando captus, ut sunt bellorum vices, constantis fidei, éque manibus eorum tandem feliciter elapsus, collectis copiis, nihil spirans præter vindictam & ultionem, in ipso hostili solo, octoginta Moscorum millia uno certamine delevit, aut in turpissimam fugam conjecit; qui denique, virtute inaudita, quinquagies prælio cum hostibus congressus, toties illustrissimas victorias reportavit. Quomodo nepotem ejus Ianussium, Castellanum Cracoviensem, avum maternum Principis hic defuncti? Is longè major Horatiis Romanorum, adolescentulus octo supra decem

annorum, velut prætextatus quidam Imperator, Tartarorum immanem exercitum, Dubnam tum oppugnantem, ſolo adventu ſuo terruit & fugavit; Koſacorum quindecim millia cecidit; &, ut æternum civibus adverſum Turcam & Tartaros provideret, ſuis ex bonis ampliſſimis ſtipendiis oblatis, rara in publicum munificentia, haſtatorum militum ſexcentos perpetuo in armis habendos imperavit. Hæc & alia Oſtrogii tam pro majorum gloria, quam in exemplum poſterorum. Neque inferiora Zaſlavii patravere. Et ſponte ſua hæc dicenti mihi ſe offert illud ſæculum, quo Turca, implacabilis ille hoſtis Chriſtianorum, tranſlato in Europam maximi terroris bello, jam Bulgariam, Boſniam, Hungariam invadebat; quo ipſo Poloniam quaſi obſederant immenſa agmina Tartarorum. Tum ſe Georgius & Conſtantinus Zaſlavii, cum Oſtrogiis, non aliter ac fulmina & muros, irrumpentibus oppoſuêre, tantorum hoſtium viribus non
ſuſten-

sustentatis modo, sed fractis etiã passim & debellatis. Est in iis, defuncti avus, Michael (ut de fratre ejus Ianussio, sũmo Duce, nihil nunc dicã) qui adversus Tartaros, non jam annis, sed mensibus singulis Russiam infestis armis incurrentes, totum aliquando triennium sub pellibus exegit, non minus contra rigorem inclementis cæli, ac tempestates, quam hostes immotus, infractus, indomitus, &, quoties excurreret ipse, cæde hostium madens & superbus Imperator. Huic, præter Constantinum, inter plucherrimarum rerum rudimenta exstinctum, ac Georgium, tot bellis, quot Polonici imperii hostes unquam fuerunt, Turcico, Moldavico, Tartarico, Moscovico, Suetico, insignẽ, filius fuit Alexander, defuncti pater: cui adolescenti belli amor, similitudine quadã morum in iis, qui ex iisdem gignuntur; & sanguine ac cædibus hostium imbuta sæpius manus, quam fatigata. Qui, ut militiæ etiam nostrę insuesceret, in Belgium divertit ea tem-

pestate

peſtate, qua arctiſſimo obſidio, nunquam ſine Batavici nominis gloria memorando, Oſtenda premebatur. Sed & ſumma in illo Heroe vis ingenii, quęvis togæ artes, Quibus factum eſt, ut ſapientiſſimi Regis ſui judicio ad Rempubl. vocatus, Braſlavienſis primò, dein Kiovienſis Palatini dignitate ornaretur; & agnatus, Ianuſſius Oſtrogius Caſtellanus Cracovienſis, potentiſſimus & longè ditiſſimus Princeps, cum melioris ſexus liberos nullos haberet, unicā filiam Euphroſynam, defuncti matrem, incomparabilis animi Principem, huic in matrimonium daret: ita hæc diſpenſantibus fatis, ut ſanguis ille, qui per duo ſæcula velut aliò diverterat, ad originem quaſi ſuam, & primos fontes reverteretur. Iis parentibus, hiſque tot & tantis Heroibus ortus CONSTANTINUS ALEXANDER, ſive natura & illo ſanguine impellente, ſive educationis ſanctitate, ita breve illud vivendi ſpatium tranſegit, ut ſpes de ſe longas & expectationem

nem summam domi ac foris concitarit; & quisque ex adolescente Principe jam virum, in illo excelsę fortunæ suæ opere, in re gundis suis, in comitatu accincti Regis, in acie, in mactandis hostibus, indefessum, invictum, & senem jam triumphalem, multaque rerum gloria copiosũ, inter plurima, sed nunc irrita, pro longævitate ejus vota, sibi repręsentarit. Vos, qui in laudationibus aliorum Principum, quorum cum annis imperium & res late exporriguntur, tot rebus pace pulcherrimè ab iis constitutis; tot bello pręliis & triumphis dicendis, parem vim Oratorum ubertatemque sæpè mirati estis; forsan hæc nunc subit cogitatio, mihi in arcto magis esse laborem, ut ejus aggresso commendationem, cujus in ipso vitæ apparatu, ante usum rerum extincti non tam in medium adferri illustria facinora possunt, quam pulcherrimæ destinationes; quique gloriam erectæ de se summę exspectationis non excessit. At, sane, contra mihi omnia eveniunt, Auditores, & copiam

argumenti deesse mihi hic intelligo. Neque tamen nunc dicam, illa tanta non modo spe, sed ipsa ejus fiducia, exspectata, & fatali hac clade mœstissimæ Ostrogiorum domus in defuncto jam amissa; quanquam similia ad ornandas immaturas optimorum Principum exsequias à summis ingeniie collata inveniam, & mihi haud arduum, nec supra fidem esset, ex prima ætate, sicut matutini istius solis rubente exortu totius diei splendorem, omnem futuræ gloriam metiri. At vero, qua via quibusque potissimum virtutibus, in tam excelsa & libidini plerumque obnoxia fortuna, ad tanta suorum exterorumque judicia de se excitanda grassatus sit, ad vos adferre potius duxi; cum in iis & plus futurum sit fidei; & fortiora solatia inde ad te reditura sint, JANUSSI ISIDORE, Princeps illustrissime, fratris tui excessu jampridem, & nunc iterum exequiis consternate; sicut & majora ad impellendam

vestram, Nobilissimi juvenes, contentionem, quæ ad summa omnia adspirat, & ex hoc domicilio sapientiæ non tantum præclara præcepta, sed etiam exempla, qualia ista sunt, debet referre. Accipite igitur adolescentiam Principis, non aliorum annorum superventu, sed morte hic finitam; in qua quidquid in quavis ætate laudatum est, & plurimorum sera non invenitur, cumprimis illuxit. Accipite annos vitæ duos supra viginti, sed ita domi ac foris per Germaniam utramque, Galliam, Italiam actæ, ut quantam ubique magnitudinem suam (quam non arrogantia aut contemptu aliorum, sed justa gravitate exhibebat) tantam virtutum circumferret. In quibus populare illud, civile; obvium maxime exstabat; adeo ut visu comis ac auditu, utroque autem venerabilis, non amorem modo omnium, sed & cum eo quemvis cultum promereretur. Ac sane, in principibus rerum raram quan-

quandam ingenii judiciique maturitatem, quam assequi privati non possunt, etiamsi maxime velint, sæpe agnoscere cogor & admirari. Quod qui soli educationi tribuunt, non omnia dicere, qui vero domesticis etiam majorum exemplis, quæ omnium fortissima sunt, rectius mihi sentire videntur. quorum imagines cum posteri adspiciant simul ut vitalem hanc lucem; cum inter vagitus & ante litteras parvuli ediscant horum exempla; & ex angustiis ac umbra cunarum elapsi, prodeant statim in domesticam quandam lucem, & venerationis, cultus comitatisque amplissimum quasi quoddam & suum regnum; ac ea paternæ aulæ disciplina se oblectent, sicut arundine longa & pupis liberi privatorum, jam desino admirationis. Nisi quod, si respicimus depravatos sæculi mores; corruptas, & non tam majestate quam ambitione insessas plerorumq;

Principum aulas; si tot degeneres posteros illustrium majorum; qui in contemptu aliorum magnitudinem fastigii sui fundant, ac veluti solium reponunt, & quanquam divinæ providentiæ lege augendis hominum commodis dati, velut numero hominum exempti, vix admittere sustinent ora, quæstus, vota, gratulationes, etiam, privatorum; novo jam, & omnibus tuæ fortunæ tradendo elogio dicendus nobis hic venias, CONSTANTINE ALEXANDER, qui, cum tot tibi relicta essent majorum tuorum, & in paterna aula humanitatis civilitatisque per Russiam & Poloniam omnem spectatissima exempla, cuivis faciens copiam tui, non tam imputari tibi, quod ambitiosorum est, quam in te, quod Heroum est, ea agnosci voluisti. Merueras quidē ista virtute tuâ; quæ cum tantâ fortunâ excellentem te dimitteret ad complexus privatorum, in ipsis illis majorem te fecit; hominum cœtibus diutius interesse, & illâ sublimitate prodigi tui in omnes

af-

affectus ejusque gloria diutius uti, nisi quod hoc velut trophæum famæ tuæ ac æternitatis, in omnium memoria penitus defixum, in eorumdem perpetua admiratione sit futurum. Cæterum, cum persuasum plerisque sit, illis Principum ingeniis, quæ civili congressu & comitate se commendant, non inesse illum acrem vigorem, illos motus qui ut fulmina, & quidam cœlo delapsi ignes, heroibus tribuuntur: quibus fit, ut non tam ambitione, quam multiplicatis auctisque majorum ac suis etiam factis, nihil ad culmen summæ gloriæ sibi patiantur restare, & velut ad palmam indefesso quodam cursu, cum æqualibus primo, dein majoribus, secum etiam contendentes, tanquam æmuli sui, se libenter post terga sua videant, & majori indies destinatione parta jam decora relinquant: novo & hujus exemplo intercedimus. In quem cum derivatus esset iste invictus, iste cædibus

tot hostium totque campis cruentatis nobilissimus, & vere triumphalis, ac nullius suorum ignavia unquam pollutus tot Russorum Principum sanguis, ille jam tum inter prima illustrium studiorum rudimenta nihil potius quam excidia urbium, commissas acies & perruptas, ac triumfos suorum audire; ad ea adsurgere & animo commoveri, ut ad indomabilis matris adspectum catuli le num; idem odium jam tum imbibere, in excidium Turcarum; eundemque animum induere pro imperii Polonici Principe ac libertate. Inde in delitiis ipsi, & nocturna ac diurna manu, primo suorum, dehinc exterarum gentium antiqui aut recentes annales; ut quidquid usquam egregium seponeret patriæ ac sibi; & ad castrenses curas aliquando vocatus unus ævi omnis ac gentis laudatum militem conferret, inprimis, ne de patria militia, in qua summa omnia, aliorumque, quibus suæ singulis artes laudesque sunt, nihil hic dicam;

Ro-

Romanum acie invictum; Macedonem phalange sua Asia omni, à Polonici imperii & Christianorum omnium hostibus nunc habitata, superiorem; Parthum concessis dolis armatum; &, ne eum prætermittam, quem in hoc quidem opere supra antiquos omnes extollebat, sub Nassaviorum auspiciis militantem Belgam, nonmagis gladio tutum & terrentem quampala, hostili humo ecfossa munitissimas arces sine multo vulnere subeuntem. Quam diversa autem sunt, quorem lectione adolescentes Principes alibi imbuuntur? Gesta Heroum, qui nunquam exstitere; quæ quia à nullo hominum geri possunt, ridere licet non imitari, otioso scribentium ingenio tantum aucta, è quibus stylo plura, quàm ab aliis dextra patrantur, & proinde non nisi oblectationes otiosorum; ad ista amantium aut furentium tot hac ætate conditi annales, inanes fabulæ, & ne quid minus quam res est dicam, vera deliria au-

larum. At ille alia omnia non tantum legere, sed, cum memoria, fidissimâ rerum, quas semel acceperat, custode uteretur, iis etiam implere quotidianos sermones, eâ oris gratia, ut non tam referre bella, quam gerere, quam iis interesse, & se ac suos jam animare ad prœlium videretur. Neque diversa aut minus generosa exerciti corporis rudimenta; gradus, saltus, gladius, & umbraticæ armorum inter amicos, quasi inter hostes, meditationes. quibus, laudato etiam inter Romanos more, quibusvis laboribus, & veræ pugnæ se parabat. Equus inprimis, quem domare, habenis regere, in gyrum contorquere, oculis ac manu explorare, quotidie solebat, non ne nihil ageret, aut quia usum pedum amiserat, ut plerique arrogantes, sed ut se simul cum illo fatigaret, tori, lacerti indurescerent; quos Baccho ac Venere in ipso adolescentiæ flore ita plerique ejus loci frangunt & exhauriunt, ut in virili ætate non nisi elumbem senectam, aut

aut potius tam animi quam corporis infantiam quandam experiantur. Cæterum ita imbuto domi ac confirmato, aliunde quoque petere visum est tantæ præsidia fortunæ, & invisere quidquid cultarum est in Europâ nationum; non, Hercule, quo, aliorum vano exemplo, disceret quid inter domesticum Vistulam & Borysthenem, ac aliorum Tiberim, aut Rhenum, discriminis esset, vel ut Septentrionis sui frigus cum Campaniæ solibus & tepentibus Baiis commutaret, quæ spectacula tantum sunt oculorum; neque ut peregrinæ acus ingenium inspiceret ac sequeretur, quæ jam nudat potius corpora, quam tegit, & plura eorum dedecora fingit, quam ornamenta; sed ut necessarias principi linguas, & artes præclaras, & imperantium arcana, & indolem aularum, & quidquid usquam egregii moris domum, & ad Rempubl. referret. Facilius ad ea plerique adspirant, quam assequuntur. Quantum igitur illud hujus judicium?

qui ad explendas tam illustres, & adeo principi profuturas destinationes, duo præcipua instrumenta, ut necessariam, nec gravem, peregrinantium supellectilem, dilegit, prudentiam & humanitatem; quarum hac facile, illa tuto & uberrimo cum fructu secreta gentium inspiciuntur. Neque enim ad ea aditum faciunt tam fortuna & opes, quam mores; illi blandi, comes, & ad demerenda omnium, quorum usus esse nobis potest, ingenia facti, faciles potius, quam leves & inconstantes. Horum vi aulas exterorum mox invasit, & incredibili omnium gratia est usus. Quem attulit amorem ipse ac cultum, recepit; & quidquid non nisi talibus apertum est statim sibi patefecit. Neque enim exterus inter peregrinos, sed horum aliquis & inter eos natus credebatur. Si defunctorum gloriam attollat inprimis, ad eorum imitationem superstites vocari, dabunt mihi illustrissimi manes; & si nulla majora, quam principum, exempla privatorum judiciis possint offerri,

ferri, dabitis mihi, qui ex dissitis locis huc plurimi confluxistis, & quam meã in vos fidem, tam in dicendo libertatem tot jampridem officiis æstimatis, si ad laudatissimos Principis mores nunc provocem, eosque exprimendos invitem illos, qui fortunæ multo minores ad exteros accedunt, tanquam ad hostes; qui quantam arrogantiam suam, tantum horum contemptum profitentur, & odisse eos malunt, ex quibus, conspirantibus animis, haud vanum peregrinationis suæ fructum reportarent. Quæ flagitia, utinam magnitudine hujus exempli profligata, hæ sedes, quibus jam olim detestata sunt, ignorarent! in quîs, nescio quibus factionum vocalibus repertis, cum domicilium esse deberet mutuæ humanitatis ac consensus, non nisi rixarum est; & civilium, ut sic dixerim, bellorum. Cæterum non talis tantum ipse, sed aula quoque, facta ad Principis, quod omnium validissimum

eſt, ingenium ac exemplum. Comitatus in ea neque nimius, neque infra ſplendorem adſtrictus, decus itineris non impedimentum, nemini autem gravis, &, ad Domini inſtar, gratus omnibus & acceptus. Quam multi vero ejus faſtigii dum ad exteros non adducunt, aut ſuos non faciunt ſimiles ſibi, ſuæ etiam famæ ac debitæ ſibi gloriæ jacturam ipſi patiuntur? Tantum de optimi Principis humanitate, quæ cum veluti coagulum quoddam ſit totius terrarum orbis, cum conjungat quantumvis moribus, ſitu, linguis diſſitas ac diverſas nationes, denique hoſpita quædam ſit omnibus amata, quid vero mirum ea factum, ut nihil in hoc, quamvis extero, peregrinum aut alienum videretur? Neque ex prudentia, qua hic ſumma opus eſt, minus præſidii accepit. Cujus cum in illa rerum & gentium varietate velut infinitæ quædam ſint partes, licebit mihi per ſplendidiſſimos manes, per vos etiam, qui arrecti pluri-

ma

ma exſpectatis, ſi omnes neque referam neque prętermittam. Equidem linguas, mores, imperium, quas adibat, nationum invadere, &, ut pretioſiſſimam mercem, referre domum conſtituerat. Linguas, ne diverſa domi aliquando inſpecturus recturuſve ora, quod privato cuique moleſtum eſt, principi vero dedecorum, egeret facundiæ alienæ. Iccirco tantiſper quaſi oblitus eſt ſuæ, & quam cum materno lacte imbiberat, neſcire videri voluit, ne eas, quæ virum abſolverent, ignoraret. Neque ſe indignum exiſtimavit, ſuo diſertiſſimus ore, inter exteros loqui iterum diſcere & balbutire, ut diverſæ illius, & principalis, quæ in aulis hodię non una eſt, eloquentiæ totam invaderet poſſeſſionem. Mores autem cum pro ingeniorum diverſitate ubique alios, vitio vero ſeneſcentis ſęculi & ideo delirantis plerũque ridiculos, corruptos, raro integros inveniret, non ad ea, quę fierent, adtendit, ſed quę decerent & exempla non tã accepit, ut ple-
rique,

rique,quam interpoſito, quod paucorum eſt,judicio ſelegit. Et cum maxime blandiantur eoq; faciſius noceant contage ea vitia, quæ virtutibus proxima earum ſpeciem mentiuntur, neq; aliorum abjecta levitate decentem facilitatem, neque ambitione juſtam gravitatem ſuam paſſus eſt inquinari. Proficere inter exteros potius voluit, quam mutari; neque iis ſe ſubmittere, propter quæ ſuos, ut meliores, adiri debere, recte obſervabat. Quod qui alterius judicii eſſe putant, quam rari & excelſi, næ illi circumeant tot eorum hodie exempla, qui domo integri demiſſi, foris animo, cultu, corpore etiam, quantum licet, in deterius mutati, fracti, inter ſuos ut peregrinia dſpiciuntur. Prudentia autem quam exacta, quam admiranda? Non licet cuiquam curioſo eſſe in Repub. aliena; & tamen id peregrinantium eſt inſtitutum; quantum igitur eſt, talẽ eſſe, & non videri? Hic cum inquireret inRempub. exterorũ, de ſuâ diſſerebat; & plura ſemper didicit cum reſponderet,

ret, quam cum rogaret. Iudicia aliorum cum acciperet, tam illa quam ſuum ſibi ſervabat; ne aut periculum in eos concitaret, per quorum oris libertatem proficiebat; aut ab omnibus amandus ſe odio ipſe exponeret in Repub. aliena. Omnes foris amicos habuit, & ſuſpectos; non quod duplex in eo animus, ſed quod, in tantis hominum inſidiis, inter tot dolos & artes, undique ejectâ veteri illa ſimplicitate, id merito tutiſſimum videretur. Miniſterio oculorum frequenter, ſæpius judicii utebatur; nec cum illis, ſed cum iſto, quid probandum, quid improbandum, decernebat. Neq; arrogantia aut contumacia unquã deſpexit conſilium alienum; non tam quod eo admodnm indigeret, quam quod ſuum ipſe paſſim circumferret, cauti, ſcilicet, eſſe, non iſta aliena credere, ſed ſua, quæ aliorum melior ratio ſuppeditaret. Talis præcipuã Europæ partem vidit; & obſtrinxit ſibi; talis, poſt Germaniam, Italiam, Galliam feliciter perluſtratam, in Bataviam

viam venit; amor omnium & delitiæ; desiderium eorum quos relinquebat, quos adibat; perfecta jam propemodum spes & exspectatio suorum. Sed, cum qui supra homines evecti sunt obnoxii etiam sint casibus humanis, & ineluctabile quoddam imperium illi agnoscant supra suum, & ad cujusvis privati conditionem, in fatali illa meta, principibus rerum sit descendendum, dum hic quasi in hybernis, & otio Musarum, & umbratica quadam militiæ arena agit; dum æstiva exspectat, & educendas in hostem acies Fœderatorum Belgarum; & armandas illas Auriaci manus, non jam indomabiles tantum, sed semper victrices; dum tuum, JANUSSI RADZIVILI, Princeps illustrissime, exemplum meditatur; qui quantam vim tuam pro hoc imperio, pro hac libertate nostra nuper exseruisti, tantum ad ornandas has sedes splendorem, tantam pacem tuam & pietatem ad splendidissimi hujus funeris pompam hodie contulisti;

fatali morbo correptus, inter magnas tandem & mox irritas spes medicorum, inusitatâ quadam animi constantia, vivendi, &, quanquam à patriâ abesset procul, peregrinandi finem hic fecit. Videte breves amores, & omnium maximas spes accisas; eque illo nihil, si divinam mentem istam excipiatis, reliquum præter id, quod mox elaturi estis, unctum & deforme cadaver, & in cineres suos, ex quibus conflatum est, mox reversurum. Neque enim hic quidquam interest inter principes & privatos, præter majorem pompam exsequiarum, &, si in exemplum vixerit, celebriorem memoriam virtutum. Quarum quidem istem ab aliis adornatam, vos mox spectaturi estis; hanc vero nos tibi CONSTANTINE ALEXANDER, non tuorum nunc tantum sed nostrum etiam desiderium, quantum potest tanto fastigio tuo minor pietas & facundia oris privati, deferimus, inscribimus, dedicamus. Agnoscimus sane Polonici im-

imperii insignem hanc jacturam, illo hic ei erepto, qui præter libertatem, propriam huic genti, & cum invidia aliarum, eam jactantium potius, quam possidentium, cognatam, nihil spirabat, nihil loquebatur. Agnoscit etiam Uladislaus IV. regum omnium potentissimus, serenissimus, quovis amore suo in superstitem, & cura, quovis imperio superiores fatales illos casus; qui in ultimis Christiani orbis excubiis adversus immanissimum hostem positus pervigil, invictus, post victum Osmanum, territum Amurathem, solutos obsidio Smolensciæ muros, post non tam exercitus Moscorum fusos, quam inter totas & immensas eorum nationes, &, inter Europæ totius communem stragē ac incendia, partam domi pacem & confirmatam, non levem, sed nec avertendam cladē in socia, in amica gente, hoc exstincto, accepit. Neque minus atrata est tota Ostrogiorum & Zaslaviorum illustrissima domus, tanto gloriæ & æter-

nitatis

nitatis suæ munimento viduata. Nisi quod in vobis, splendidissimi Principes, ULADISLAE DOMINICE, qui doloris tui testem patriam tuam fecisti, & JANUSSI ISIDONE, qui hæc coram nunc spectas & audis, fratre vestro orbatis, tanto majorem fiduciam reponat, quanto sanctioribus votis nostris illa vestrorum adjuvantur, quibus si supremi numinis pax sese interponat, jam annis vestris tantū additum est, quantum germano vestro accisū, & de eo tot tantęque spes conceptæ in vobis implentur. At tu, CONSTANTINE ALEXANDER, militiæ gloriam, quæ summis mortalium & ideo tuis tantum agnascitur, animo semper complexe, ultimas votorum metas tandem emensus, quidquid ejus est jam absolvisti, explesti. Vix quidem illud adolescentiæ lubricum feliciter superaveras, cum in ipso veræ, masçulæ, & qualis Heroum est vitæ aditu, fatali ictu percussus cecidisti. Sed experiendo jam pridem

dem tu didiceras, in quovis prœlio; quale in hoc mortalis, infestæ sibi, seque ipsam finientis vitæ cursu, velut campo, cuivis est decertandum, plures semper tyrones cadere, quam superesse veteranos. Quanquam etiam supremum hunc & omnium maximum conflictum haud subire licuerit domi in Uladislai tui aspectu, ante ora tuorum, nihil tamen in novissimis oculi tui desideravere. qui ex militiæ disciplina & lege acceperas, nunquam deserendum esse vocantem imperatorem; & invicto animo occupandam esse quamvis assignatam sive vitæ, sive mortis stationem, denique pectora generosa, quale tuum quovis loco, quovis sub cœlo fortiter mori. Optaveras tu quidem in acie, in hostili solo, sive immanis Turca, sive rapax Tartarus, sive evagator Moscus libertatem gentis vestræ & virtutem tuam lacesseret, pro majorum tuorum exemplo, profuso sanguine tuo ac hostili immixto, & ipsa morte Rempub. juvare, & ingen-

tes

res victorias, amplissimosque triumphos promereri. At, Hercle, nullius votis æque ac tuis nunc satisfactum est, CONSTANTINE ALEXANDER. qui in postremo illo vitæ tuæ actu, in ipso confinio mortis, spe longe majorum intrepidus, arrectus, ipso illo principali tuo fastigio, quod est splendidissimum, toto isto orbe, quem inhabitamus, omni hominum gloria, qua nequidquam assurgunt principes rerum; velut te inferioribus, magnitudine ac constantia judicii tui despectis, victis, triumfatis, quo nullum augustius est victoriæ genus, nulli tituli aut triumphi superbiores, cœlum ipsum invasisti & expugnasti.

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

FUNEBRIS

IN OBITUM

ILLUSTRISSIMI HEROIS,

DOMINICI MOLINI,

PATRITII ET SENATORIS VENETI.

ORATIO VII.

SERENISSIMÆ. VENETORUM. REIPUB. AD. FOEDERATI BELGII. ORDINES. SPLENDIDISSIMO. LEGATO. QUI SUMMA. QUÆQUE. ET. INUSITATA. VIRTUTIS. AC GLORIÆ. EXEMPLA. A. TOT.

TOT. DOMI. MILITIÆQ.
PIISSIMIS. INVICTISSI-
MIS. LAVDATISSIMIS.
MAIORIBVS SVIS. PRÆ-
SERTIM. DVOBVS. VITA-
LIBVS. ET. DOMINICO.
MICHAELIIS. AVGVSTIS-
SIMÆ. REIPVB. DVCIBVS
PATRIBVS. OPTIMIS. MA-
XIMIS. HEREDITARIO.
QVASI. IVRE. ET. RARA.
QVADAM. DIVINÆ. IN-
DOLIS. SIMILITVDINE.
ACCEPIT. SVSPEXIT. OM-
NI. DENIQVE. VITA. SVA.
EXHIBVIT. EXHIBET. EX-
HIBEBIT. A. QVO. SIMI-
LIA. AVT. MAIORA. AC-
CEPTA. MONVMENTISQ.
ILLVSTRIVM. INGENIO-
RVM. ALBO. ÆTERNITA-
TIS. INSERTA. POSTERI
OMNES. LEGENT. SE-
QVENTVR. VENERA-
BVNTVR. DOMINICVM.

MO-

MOLINVM. INVICTI SANGVINIS. PROPAGINEM. SENATOREM. INTEGERRIMVM. ERVDITORVM OMNIVM. PATRONVM. INCOMPARABILEM. PRÆSTITEM. MVSARVM. OPTIMI. MORIS RESTITVTOREM. VNICVM. DENIQ. OMNIVM. HEROICARVM. VIRTVTVM CONSVMMATAM. IMAGINEM. NON QVALEM. DEBVI. SED. QVALEM. POTVI. REFERRE. INFINITO. LVCTV. EX. MORTE EJVS. INSOLABILITER TVRBATVS. AFFLICTVS. ET. TANTVM. NON. ENECTVS AC. SIMVL. VOTA. PRO. SALVTE. MAXIMI. PRINCIPIS FRANCISCI. ERISSI. VT QVAM. DIVTISSIME. INTERSIT. MORTALIVM CETIBVS. DIEMQ. ISTVM RENATVM. SÆPIVS VIDEAT. QVO. EVM. SECVLI. FELICITAS SERENISSIMÆ. REIPVB. DVCEM. DEDIT. EVEXIT. PROBAVIT.

VIT. PRO. SALVTE. IL-
LVSTRISSIMORVM. PA-
TRVM. QVORVM. COELE-
STES. INVIDENDAS. IN-
COMPARABILES. VIR-
TVTES. MAGNANIMITA-
TEM. PRVDENTIAM. FE-
LICITATEM. TERRA-
RVM. ORBIS. QVACVNQ.
PATET. INTELLIGIT.
SVSPICIT. AD. STVPO-
REM. VSQ. ADMIRATIO-
NIS. VENERATVR. PO-
STREMO. DENIQVE. PRO.
VENETI. NOMINIS. SA-
CRI. LIBERI. INVIOLATI
SVIS. LEGIBVS. VIVEN-
TIS. ÆTERNITATE. DOQ.
DEDICOQ. QVI. ME. IL-
LVSTRISSIMO. NOMINI.
EIVS. IN PERPETVVM.
COLENDO. L. M. Q. AD-
STRINXI. DEVOVI. OBLI-
GAVI. MARCVS. ZVE-
RIVS. BOXHORNIVS.

PRomisi quidem vobis hunc diem, AUDITORES, sed quo plerique omnes, qui aut fortunę, aut ingenii magnitudine ętate nostra excellunt, non suspiriis tantum & lachrymis, quorum necessitatem vulgo etiam suis imponit cujusvis privati funus, sed ipso sanguine suo ac spiritu vitam ejus redemptam vellent, de quo est dicendum. Adeo ut inter quotidiana exempla non sit, propter quod & exserenda mihi luctuosa nunc vox est; & vos tam frequentes convenistis. Extulit, extulit nuper Italia D. Molini cadaver. Uno spiritu magnitudinem cladis in aures vestras libenter effunderem, nisi infinito luctu deprehensus meus animus vocem non parum cohiberet. Extulit Italia ejus cadaver, qui cum aliquando moriturum se agnosceret, vitam, quod paucis mortalium contingit, vivendo post mortem extendit; qui non debuerat mori, nisi etiam illi morerentur, qui nihil in vita nisi laudandum admisere;

qui

qui tot virorum principum tradux, serenissimæ Venetorum Reipub. non domesticus tantum, sed pater, unicum Italiæ suæ ornamentum, sed quod Italiæ invidebat orbis terrarum, delitium generis humani, amor Musarum, eruditorum omnium Mecænas, quidquid magnarum rerum geri poterat exsequutus, quidquid sciri poterat complexus, ipse domi, foris, ubique, clam, palam, apud omnes, si quisquam, æstimatus. Itaque mihi dicturo venia est opus. Novum est natum in Italia & defunctum, in Batavia laudari. At vero sic efferri illum, qui in ore singulorum est, & publica eruditorum omnium fama, cujus cœlestem humanitatem & merita nemo non expertus est, nisi qui ipsum non novit; qui omnes suę fortunę cultu illustrissimarum artium post se reliquit; qui omnes primi nominis in Batavia devinctos sibi habet, quis merito culpaverit? Et fas etiam mihi sit privatam pietatem hic profiteri, qui inter ea

quæ mihi accepta evenêre, antiquissimum illud habeo, quod ille nòn nisi magnorum hominum æstimator, me, qui nihil præter ignorantiam quotidie prodere soleo, inter suos se habere non semel fuerit testatus. Si quis tamen eum satis à me laudari posse existimat, næ ille tenuitatem ingenii mei nondum exploratam habet; & qui à quoquam, etiam disertissimo, qualis fuit exhiberi posse arbitratur, næ ille etiam magnitudinem virtutum ejus ignorat. Quæcunque enim in ipso, & extra ipsum ejus tamen sunt; tanta profecto offeruntur, ut subsidere sub onere heic cogamur. Dedit Molinum illustrissima familia orbi terrarum, quæ nisi fuisset talis, sola hujus virtute prima jā inter omnes exstaret. At vero illa & temporis antiquitate, & magnitudine meritorum se præ cęteris nunc commendat. Quippe ex illâ longè validissima Nortmannorū gente derivata, quę in Neustria, Britannia, Apulia, Sicilia,

cilia rerũ potita, in posteris non fefellit. ut raro in suis desiderantur, qui suis in exemplum vixere. Anni jam fere trecenti sunt & sexaginta, cum Iacobus Molinus, vir ingentis & majorum animi, admotus imperio Hadriatici maris, quod præsidio serenissimæ gentis, augendæque ejus magnitudini natura destinaverat, Anconitanis omnia turbantibus, cum fortitudine conjuncta felicitate, pulsis hostibus, optime de Venetorum Repub. est meritus. Quem ut sequutus Aloysius Molinus fuit, ita magnitudinem ejus vicit. Uno eodemque tempore ad subvertendam serenissimæ Reipub. securitatem potentissimi hostes conjurabant; Iulius Pontifex, Galliarum Rex Ludovicus, & Hispaniæ Ferdinandus, & qui ut imperio, ita viribus major Maximilianus Imperator. Quidquid tunc gloriæ conferre virtus, quidquid denique difficillimo tempore exspectare Respub. poterat, invidendo om-

omnibus sæculis exemplo, Aloysius confecit. Actum pene erat de principe Italiæ gentium populo, nisi extremos hostium insultus stitissent invictæ ejus manus. Quacunque arma tunc circumtulit, circumtulit terrorem. Urbem Patavinam, occupatam jam, virtute recepit, cæterisque Taurisium usque captis vel agris vel civitatibus Veneti imperii libertatem, præter spem omnium, quam celerrime redonavit. Ita se quidē in illa familia decus militiæ habuit, quod tantum summis mortalium adnascitur, & à Diis æstimatur. Nec minus gloriæ nobilissimæ genti suæ Marcus Molinus domi addidit. qui litterarum curam apud suos suscepit. Adeo ut, præter cæteros, ipsius patrocinio totum se Baptista Egnatius deberet; vir, ut illa sæcula erant, inter primos eruditorum. qui accepti hujus beneficii memor, tres patricii sanguinis nobilissimas familias, Molinam, Lauretanam, & Bragadenam delegit, quas ultimi voti tabulis
ho-

honoraret. Nihil ex tantis majoribus mediocre nasci potuit; nihil quod non amorem in Rempub. & affectum in eruditos spiraret. Quorum utriusque non defuit in Dominico Molino splendidissimum, & majus quam à majoribus acceperat, exemplum. cui rei jam à prima adolescentia se impendit. Nec enim illam aut lascivia, aut indulgentia parentum, qua etiam bonæ indolis semina, quæ natura ipsa imposuit, exstinguuntur; sed in amplexu præstantium quorumvis studiorum transegit. quibus diligenter adeo incubuit, ut cum docendi essent alii, & fructus studiorum ad Rempub. referendus, nihil omnino discendum haberet. contra quam illi faciunt, qui cum juventutem inerti luxu corrupere, discere inter Reipub. negotia volunt, ante quorum usum omnia didicisse oportet, quia alias discendo peccatur. Navem subvertet nata tempestate, qui ante eam exortam non

accepit, quomodo vis ejus vel infringi possit, vel evitari. Erat autem in Molino ingenium, ut majus non optares; memoria, quæ quidquid magnum seponeret, &, cum res posceret, promptissime suppeditaret. Inprimis autem judicio valebat, quod cæterorum omnium sal est & condimentum. Sic factum, ut nihil memoria ejus amplecteretur, nihil ingenium sibi fingeret, quod non ratio judicii approbaret. Sic juvenis didicit, quibus virum indueret, & privatus, quibus senatoriam dignitatem paullo post adornaret. In cujus spem eorum præcipue opera & præceptis utebatur, qui civilis sapientiæ scientia, & usu publicarum rerum pollebant. Sic enim fit, ut ea audire contingat, quibus non interfuimus, & videre, quæ quia ante nos, aut remotis nobis facta non spectavimus. Præsertim si ad ejus ingenium, ex quo audimus, nostri dexteritas, & promptitudo accedat, quod in Molino stupendum

dum fuit. Erant tunc temporis in Venetorum urbe, qui usu rerum & magnitudine consiliorum pro serenissima Repub. florebant: quæ, licet alibi magnarum virtutum sterilis sit ignava hæc ætas, cœlestium ingeniorum fœcunda semper est mater. Horum alloquio & familiaritate continuo Molinus utebatur, & profuturis consiliis, in magnum rei post usum, ingentem animum suum explebat. Cum his quotidiani ejus de Repub. sermones. Ex iis optime intelligebat, quid corrigendum, quid & quare laudarent; quomodo obviam eundum hostibus libertatis. Non poterat non Molinus sub his præceptoribus proficere. Hi enim nihil nisi quod magnum dictabant, ille autem ad discendũ conferebat alacritatem animi, quam opportunitatem non sine causa Pythagoras nominabat. Frustra quippe docetur, qui animo discendi non accedit. Sic adhuc privatus major privato fuit, & illustrissimæ dignitatis capax, prius-

quam obtineret. Ad quam non uno saltu, non ambitione, non favore amicorum pervenit. Volebat primum Reipub. dare sui experimentum. quippe tunc demum tempestive magnis admovemur, postquam minora feliciter sumus exsequuti. Nemo repente factus est summus Imperator. Ætates suas requirit illustrium dignitatum fortuna, & summam rerum evertunt, qui eam in inexpertos transfundunt. Nullus etiam hic ambitioni erat locus, ubi tantum ardor bene de Repub. merendi obtinebat principatum. Male ad summas dignitates tendit, qui in iis non tam de publici egregii, quam de suo bono constituit mereri. Nec quoque præsidio amicorum opus habebat magnus hic animus, qui amorem in patriam & pretium sui ubique circumgestabat. Nec deceptos se experti sunt, qui credidere. Ex quo enim in excelso illo gradu dignitatis positus fuit, iniit primum inter se solum, mox inter se & Rempub, pulcherrimum

certamen. Secum de progressu virtutis suæ pugnabat, instituta contentione inter personam quam sustinuerat, & illam, quam nunc tueri tenebatur; inter virtutes, quibus hactenus omnibus satisfecerat, & illas, quas ad sustinendam tantarum rerum molem, & conservandum decus illustrissimi imperii requiri intelligebat. Cum Repub. autem, cui totum se devoverat, de ejus incremento, & promovendo bono, ardore animi indefesso & ingentibus curis quotidie contendebat. Aderat enim constans quædam & excitata vis mentis, qua quidvis superabat; qua contra pericula omnia & difficultates audentior semper invehebatur; qua constanter ab aliis dissentiebat, cum ita Respub. suaderet. Non hercule, diffidendi quadam libidine, sed quia pronis auribus excipiendum id omne credidit, quo libertatem patriæ propugnabat. Male tacuit, qui odia aliorum metuit, ubi erat loquendum; male etiam loquutus est, qui

 alios

alios offendit, ubi ſine periculo potuiſſet tacere. Quoties vero in auguſtiſſimo conſeſſu apud Patres verba Molinus faceret, erat viſu juxta atque auditu venerabilis; habebatque movendi omnes autoritatem. Quoties ſuadendum erat, modeſtiam; quoties diſſentiendum, concordem pro Repub. animum; quoties probandum, quod alii bene ſuaſerant, candorem exprimebat. Adeo ut optimi oratoris imaginem in ſeipſo omnibus exhibuerit: non qualem vulgo in umbra diſcimus, ubi ſpecie inutilium verborum decipimur, ſed quam inſita naturæ bonitate ſublimis ille animus ex uſu rerum ſibi finxerat. Non niſi ratione æquitatis adverſus cætera immotum ejus pectus poterat expugnari. Obſervabat acriter & legum patriæ, & inſtituti ſui ſeveritatem, falſumque in ſe oſtendit, quod apud Romanos verum olim erat, & credebatur, pecuniosum hominem non poſ-

ſe damnari. Pauci ita in Reipub. adminiſtratione verſantur. Multi quidem adferunt ad eam incorruptum animum, quia hactenus corrumpi non potuere; pauci ſervant, quia jam poſſunt corrumpi. Et tanto quidem magis per has virtutes profecit, quia vigilantiam adhibebat qua factum, ut occaſionem non prætermitteret, qua uti debebat; & nihil eorum optare cogeretur, quorum tempus effugerat. Cum vulgo ita fieri ſoleat, ut præpoſtere non tam utamur præſentibus, quam uti velimus, poſtquam effluxere. Quid dicam autoritatem ejus, cum publicam perſonam indueret, quid humanitatem, cum deponeret? Quanquam & in publico privatorum commoda, & apud privatos bona Reipub. promoveret. Rara profecto morum & ingenii mixtura, ita privatū eſſe, ut publici cura, ita publicum, ut deſideria privatorum non negligantur. Domus ejus tanquam ſacrarium quotidie fre-

quentabatur, ipse autem instar oraculi erat. Confluebant ad illum, qui in ea Repub. primi sanguinis, & quos magnis rebus fortuna destinabat. Docebat eos, quæ experientia multorum annorum ipse didicerat, & didicisse se credebat, ut alios doceret. Hæc propria ejus insita virtus fecerat. Cætera cum aliis exsequebatur, ita tamen ut plurimum ipsi serenissima Respub. deberet. Ex quo enim admotus ad curam Reipub. fuit, facta multa & constituta sunt, quibus æternitas illius imperii & libertatis aut conservata aut promota fuit; in quorum pulcherrimorum facinorum partem & gloriam ipse animo tam quorumvis periculorum contemptu, quam saluberrimis consiliis instructo venit. Quidquid ab omnibus factum, uni etiam acceptum referri debet. Quicquid omnes recte, & ex majestate Reipub. decernebant, ipse sequebatur, nescius detrectandi, ubi melius non erat quod

suade-

suaderet. Quicquid unus ille censebat, subinde omnes amplectebantur. Stolidæ quippe ambitionis est, aut unum ab omnibus, aut omnes ab uno dissentire, ubi vel unus vel omnes pro Repub. dixere. Quod sub Johanne Bembo, serenissimo Principe, provocantibus Vscognorum injuriis, bello inter Austriæ Duces, & augustissimam Rempub. exorto, in Foro Julio oppida aliquot mira felicitate expugnata, quod Moscanisa capta, quod Gradiscæ obsidio soluta, quod gravia in Istria Dalmatiaque bella induciis primum, mox pace sopita, ut cæterorum Patrum, ita etiam socia Molini prudentia effecit. Quomodo autem hoc loco & tempore silentio involvendum initum, sub Antonio Priulo, serenissimo Principe, arctissimum fœdus? quo & invicta Respub. & populus Belgii fœderatus coiere, ringentibus hostibus utriusque libertatis, qui socios non volebant; volebant

autem

autem ut servirent, ne sui servitutem detrectarent. Nemo abnuebat utilissimum fœdus, nemo tamen constantius quam Molinus promovebat. Suasit id ejus & in suos & in nos propensissimus amor. Jungenda utraque Respub. videbatur, quia utramque amabat. Nec amasset nostram, nisi amor in suam dictasset, ut nostram amaret. Et cur non coalescerent nobilissimæ gentes? quarum utriusque oceanus metator, utriusq; idem hostis fere & amicus, utriusque eadem libertatis cura, idem amor. Ita continuis pro Repub. laboribus animum suum Molinus fatigabat; si fatigari dicendus sit, qui innata quadam ingenii facilitate, & experientia difficillimorum operum publica jam, tanquam domestica, & intricatissima, tanquam quibus impar esse non posset, exsequebatur. qui otium etiam suum liberaliter occupabat. Non in ineptiis, aut frivolis sæculi, quæ à plerisque ejus fortunæ solent æstimari,

ſed in cultu optimarum artium, amplexuque illorum, qui eas profitebantur. Quæ laus priorum temporum, cum decus ſuum adhuc virtuti præclariſque ſtudiis conſtaret, cum inſtructiſſimum animum quiſque ad Rempub. conferret, ætate noſtra in pleriſque eviluit; qui ſordida tantum & bonorum omnium contemptum amplectuntur. Quidquid otii cura Reipub. ſuppeditabat (ſuppeditabat autem parum) liberalibus ſtudiis addicebat. In iis ſe exercuit divinus animus, inſpectis diligenter veterum monumentis, ex quibus ſapientiam omnem, & bene imperandi artes hauriri poſſe merito exiſtimabat. Et tanto quidem magis, quia quotidie uſum eorum experiebatur. Proinde & bibliothecam inſtruxerat, non ad inanem pompam, aut oſtentationem, ſed quia ita expedire videbat. Quidquid aut Græcia diſciplinarum omnium mater, aut Roma, gentium caput, ereptum injuriæ temporũ, ingeniis ſuorum ad poſteritatem tranſ-

transſmittendam curaverant, non erat tantum in ea, ſed legebatur. Legebatur autem ab eo, qui non ſequebatur quidvis temere, ſed, quod paucis datum eſt, judicium interponebat. quo factum, ut tempora, quibus non vixerat, cum ſuis contenderet, ut quæ pridem abolita in uſum revocaret, poſtremo denique, ut nihil eorum, quæ ſciri deberent, ipſe ignoraret. Tenuit enim, ut magnus olim Agricola, ex ſapientia modum, & non neceſſaria neſcire voluit, ut neceſſariis ſe pararet. Ita factum, ut illuſtri ejus exemplo, ad parem animi contentionem cæteri fuerint provocati. quos fortunæ multo minores pudebat hic poſt illum eſſe, qui ſine literis ſatis à fortuna ad magna inſtructus erat, ſi corruptos ſæculi mores voluiſſet imitari. Ita factum, ut ad curam ſtudiorum in celeberrima Patavinorum Academia ſolennibus Patrum ſuffragiis, & ſummo eruditorum omnium deſiderio, fuerit evocatus. In quo ſplendidiſſimo munere ita ſeſe habuit,

buit, ut Musarum pater, oraculum sapientiæ, doctorum omnium delitiæ & amor, passim jam apud suos celebraretur. Quisquis ingenio excellebat, & doctrina Mœcenatem eum & patronum suum experiebatur. Nemo eruditorum magis benevolentiam ejus, quam ipse eorum captabat. Vix quisquam erat, qui non æternitati tanti nominis inscriberet ingenii sui monumenta. Sic, cum favorem suum quaquaversum Molinus circumferret, ubique jam legebatur. Sunt in omnium jam manibus eruditissimorum hominum scripta prope infinita, quorum vestibula illustrissimo hoc nomine exornata auctores voluere. Tales Pignorii, Cremonini, Sandellii, Bonifacii, Crassi, aliique illustres viri, quorũ cum alii reliquias Romanæ antiquitatis, alii jus, alii medicinam, alii historiam aut suorum aut prçcedentium temporum, pro virili quisque suscepissent illustranda, ex Molini luce splendorẽ, ex judicio famam & existimationem sibi suis-

fuisque scriptis voluerunt conciliare. Quibus tantum abest, ut ad ambitionem uteretur, ut benevolentiam, quam tamen majorem esse posse nemo existimabat, majorem impenderet, & bonarum litterarum studia, earumque Professores, magis magisque complecteretur. Multa ejus generis apud antiquos exempla sunt, sed huic simile non exstat. Nec poterant excelsæ illæ virtutes intra Italiæ angustias aut Alpes, diutius jam contineri. Quidquid enim alibi magnum est, ubique æstimatur. Quisque illud aut apud se esse vult, aut suum facit. Sic eum Gallia, sic Germania, sic Batavia hæc nostra, tanquam aliquod numen, & Apollinem Musarum certatim cœperunt venerari. Præsertim autem Batavia, in cujus Academiam, & illustria ingenia ut ipse se totum, ita illa in ejus æstimationem & cultum tota se effudere. Testes mihi sunt, quorum ora hic intuemur. Agnoscis profecto id tu, Adolfe Vorsti, qui prin-

principem nunc clarissimi ordinis nostri tueris locum, cui præ cæteris id contigit felicitatis, quod cum Italiam aliquando perlustrares, tanti herois oscula & verba præsenti tibi excipere licuerit. Magnum sane propius admitti ad tantarum virtutum contemplationem. Ille te impense amabat, quia nihil in te erat, quod non amaret; tu autem colebas eum, cum inusitata ejus humanitas, ad stuporem usque admirationis te detineret. Nec tu dissentis, illustris Heinsi, cujus cum infinita esset eruditio, & ad æternitatem temporum facta cœlestis ingenii monumenta ubique legerentur, non potuit sublime illud Molini pectus te orbis universi delitium, stupendum in omnibus & incomparabilem, non amplecti, non exosculari. Laus autem tua hic propria & singularis, quod cum amore doctorum hominum ipse jam teneretur, animum hunc suum tibi primū crediderit, ut sic ad cæteros pene-

penetraret. qui & equestrem in serenissima Repub. dignitatem merito tibi deferendam curavit. Ad quam non pretium, non ambitio, non inanis fama aditum tibi fecit, sed quia tu eras & merebaris, & quia censebat ille, qui non nisi magnos & supra communem sortem positos æstimabat. Tu quoque, clarissime Graswinckeli, qui tot privatorum fortunas & salutem rara tua facundia defendisti, & nuper vindices exseruisti manus in hostes Venetæ libertatis, tu tibi documento ex affectu, quo te tantus heros complexus est, quanto animo tui similes, id est doctrinæ & ingenii præclaros prosequeretur. Quid hic dicam tot myriades litterarum, quibus initam cum eruditis ubique gentium amicitiam perpetuo fovebat. quę solę incredibilē ejus dexteritatem, & promptitudinem ingenii, in tantis Reipub. negotiis, quibus continuo vacandum ei erat, satis superque omnibus possunt testari. Non illæ

fuco

fuco & fallaciis, quæ vitia olim, nunc mores esse cœperunt, sed heroico & plus quam humano affectu se commendabant. Adeo ut ipsum, qualis erat, & legeres simul & videres. Legeres sicut vivebat, videres sicut scribebat. Nimirum eundem & stylum & animum præstabat. Abeant nunc igitur, abeant illi fortunæ pusiones, qui opibus suis ad ineptias, otio ad voluptates, dignitatibus ad arrogantiam, & gentis suæ splendore ad contemptum litterarum, & odium eruditorum abutuntur. quos non minori animo nos contemnimus, dum pretium nostri ex conscientia, & usu præstantissimarum artium metimur. Discant hic, ex cultu illustrium studiorum, & qui eorum professores sunt, splendorem Reipub. & æternitatem nominis comparari. Talis Molinus vixit, & utinam mihi hic desinere liceret, atque alii nunc incumberent partes dicendi! Lachrymas offero, ubi verba exspectatis, nisi lachrymis majus sit acerbissimum hoc funus,

funus. Obiit nuper ille, obiit qui nemini viventium exosus, qui non sibi, sed serenissimæ Reipub. sed omnibus vivebat; ante quem mori quisque desiderabat, & de suis annos additos, ut ætatem ejus augeret. Obiit annos tres & sexaginta natus, quem climactericum filii medicorum, virorum autem mactatorem Græci solent appellare. Obiit die fatalis illius anni sui extremo. Spatium est, si quidem communem naturæ ordinem videatis, non inter brevissima; si facta ejus & merita, tam angustum non credimus; si spem omnium & exspectationem, multo longius, &, si natura pateretur, sine termino optassemus. Sed parendum necessitati, qua omnes constricti sumus. Fata hic leges præscribunt, quæ non puniunt refractarium, sed non patiuntur. Vixit igitur Dominicus Molinus, ita tamen ut adhuc supersit, & superfuturus sit, quamdiu decus suũ magnis mentibus constabit. Intelligis, Serenissime Princeps, Francisce Erissi,

rissi, quantum in unius morte amiserit augustissima Respub. quæ in invidendas tuas virtutes speciem majestatis suæ voluit derivari. Agnoscitis jacturam vestram, illustrissimi Patres. Equidem veneror magna illa inter vos nomina, consessum vestrum non tam hominum quam Deorum, & in eo non jam de virtute, sed de magnitudine ejus certamen, optimas leges, earum vindices acerrimos, constantissimos, animos invictos, terra marique indomabiles. quibus pacem suam æternitatemque debet serenissima Respub., quã olim ex nobilissimo totius Italiæ sanguine coalitam inrumpentibus in eam Barbaris, inadito hactenus exemplo, non immanitas Turcarum, non perfidia sociorum, non arma potentissimorum Principum, insidiantium libertati, non denique ferrum omne, haud dicam expugnare potuit, sed ne quidem potuit commovere. Molinum tamen; vestrum sublatum cer-

nitis & doletis. Cujus maximarum virtutum memoria apud vos, quam diu Respub. vestra, exstabit. Tu Divi Marci splendidissime Procurator, Francisce Moline, qui pro Rege Cretam tenuisti, germano tuo jam orbatus vivis, quem cum solum habere te existimares, plures ipse & sibi & tibi fecit, dum infra magnitudinem gentis suæ non existimavit, fraterno eos affectu excipere, quos amabat. Adite etiam, illustrissime Francisce Michaeli, qui aliquot Ducum soboles, cujus facundo ore & quasi pro libertate vestra excelsæ illæ animæ, majores tui, utebantur, in Belgio serenissima Respub. jam loquitur, ad te, inquam, dolor hic etiam pertingit. Fecerat non tam ille excelsæ dignitatis locus, in quo erat, non tam agnatus ejus sanguis, quam infinita virtus, ut eum amares; nisi pro affectu tuo melius dixero, coleres, æstimares. Scio etiam vehementer animum tuum commoveri, qui hæc nunc audis illustrissime Singlitice, Rocassii Comes, cui ut in-

inter summa ornamenta est & propria & majorum virtus, quorum duo, ut de cæteris, de quibus annales vestri loquuntur, nunc non dicam, in Cypri expugnatione invicto sanguine suo, & qui amore Reipub. calebat, perfudere scelestissimas Turcarum manus; ita inter præcipua numerandum, quod ut sanguine, ita & magnitudine animi, & heroicarum omnium virtutum cultu magnum illum Molinum tuum proxime contingas. Qui ereptus jam rebus humanis, despicit ludibria instabilis fortunæ, & fruitur cœlestissimo præmio, cui comparando se hic impendit, & in complexu Aloysii sui vivit aliasque eximias sanctasque mentes, suæ similes, præsens intuetur. Beatus ille & vitæ & mortis claritate. Vixit enim ut adhuc sit, postquam fuit, ut videre eum contingat, postquam ex oculis abijt; ut in-

terfuturus sit ultimæ memoriæ nepotum; ut denique reliquerit virtutis & gloriæ, quale nemo dedit, nemo daturus est, quisque autem sequi debet, incomparabile exemplum.

DEO. OPT. MAX.
SACRUM
ET

ILLVSTRISSIMO. HEROI DOMINICO. MOLINO PRVDENTIÆ. ANTISTITI. SAPIENTISS. FACVNDISS. INTEGERRIMO INCORRVPTISS. LITERARUM. ANIMÆ. AC. VITÆ. STIRPIS. ANTIQVISSIMÆ. GENEROSISSIMÆQVE. TRADVCI. CVI NOBILITATEM. QVAM ACCEPIT REDDIDIT. ÆTER-

TERNITATEM. CONTVLIT. ADIECIT. QVEM. REGINA. RERVM. ITALIA. LIBERTATIS. ASYLVM ET. TROPÆVM. VENETIA. VINDICANDÆ. LIBERTATI. FOVENDISQVE. PER. UNIVERSVM ORBEM. ERVDITIS. PROTVLIT. EDIDIT. EDVXIT. SENSIMQVE. AD DIGNITATES. PRIMAS. EXTVLIT. PROMOVIT. EVEXIT. QVEM. PARNASSVS ITALIÆ. PATAVIVM. INSPECTOREM. STVDIORVM. AC. APOLLINEM. SENSIT. SVSPEXIT. COLVIT. QVEM. HÆC. ÆTAS LOQVETVR. OMNIS. QVAMDIV. IPSE. ORBIS ET. ERVDITI. ERVNT. CVIVS. HVMANITATEM. CANDOREM. LIBERALITATEM. QVA. NOMEN

FAMAMQVE. IMMORTALEM. SIBI. SVISQVE. PEPERIT. NE. IPSA. QVIDEM. FAMA. SATIS. EXPRESSERIT. IN. QVO. COMMENDANDO. OMNES. MVSÆ. DEFICIVNT. QVAS. SIBI. FAMILIÆQVE. SVÆ. CLIENTAS. DOMESTICASQVE. FECIT. DEMERVIT. HABVIT. ORDINIS LITERATI. NOMINE. QVEM. ATRATVM. SORDIDATVM. AC. PVPILLVM DESERVIT. RELIQVIT. RAPTVS. FATO. AC. SINGVLIS. EREPTVS. INPRIMIS AVTEM. SVO. M.M.Q. HEIC. F. D. P. DANIEL HEINSIVS.

SA-

SALVE. O. PATRONE. SALVE. ET. ÆTERNVM. VALE

TE. MYLII. MENS. ALTA. MIRATRIX. TVÆ.
GRASVVINCKELIQVE. PROXIMVS. COELO. CALOR
ET. OS. DISERTVM. TE PARENTATOR. TVVS.
NVNQVAM. INCLVTÆ. VIRTVTIS. OBLITI. TVÆ
QVO. DESTINANTVR. SVBSEQVENTVR. ORDINE.

AMICORUM ALIQVOT EPICEDIA.

Balthasari Bonifacio Archidiacono Tarvisiensi.

IRe salutatum properat dum nostra Molinum
Hospite fraudata est litera morte suo. *(aulæ*
An lateat, pulsetne fores, ô arbiter
Balthasar illustris, consuluisse velis.
Sed refer ut pulset. quamvis bonus occidit hospes,
Parte tamen vivit nobiliore sui.
Illa, sideribus pulcro cũ lumine solis
In cineres versis, iste superstes erit.
Officio faveat sero. præpostera musa
Sic probat ad manes hunc voluisse sequi.

IN

IN OBITVM

ILLVSTRISSIMI

DOMINICI MOLINI,

Senatoris Veneti.

QVid juvat, ò proceres, terris cessisse cruentis,
Securosque tuba jam maris esse deos?
Vos quoque sentitis misera contagia terra:
Nec juvat immunes cædis habere manus.
Non minus æterna moriuntur sidera gentis,
Et procul à telis, & sine Marte, cadunt.
Occidit illa etiam divûm certissima proles,
Illa Antenorea vita salusque domus.
Credite non unum vobis periisse Molinum,
Sed Venetos omnes, si periisse queant.

A L I V D.

IAM satis indnlsit privato quisque dolori:
Publicus hic. luctum mittite quisque suũ.
Omnibus à populis unus lugendus: in uno,
Tempore quod toto lugeat, orbis habet.
Adria flet, mœstique novem flent ora Timavi,
Nec Padus in lacrymas sufficit ipse suas.
Sed Liger his Rhenusque suas cum Tybride iungunt:
Vertit & in lacrymas Mosa Batavus aquas.
Pars sua cuique uno est in funere. quæque patrono
Orba suo regio est, hospite quæque suo.
Sors tamen hæc gravior totique domestica mundo,
Quod cum patrono, Pax, moritura tuo es.
Vnius arbitrio patuit ferus arma Molini
Ponere Mars, unquam si positurus erat.

IOHANNES FORESTIVS,

Præpot. Northollandiæ Ordinibus à Secretis.

CLARISS.

MARCO ZVER. BOXHORNIO,

CVM

Illustrissimo Heroi

DOMINICO MOLINO

publice parentasset.

QVid est diserte nec tacende Boxhorni
Posthac disertis ęmulisque summorum,
A cujus orę feriata Lugdunum
Nuper pependit, sauciata, percussa
Oratione flebili, nec ignava,
Sed expedita masculaque, sed gnara
Vim questibus miscere, lachrymis pondus; (magni,
Quid est, quod Heinsî, præco funeris
Ciere lessum lachrymasque vis Musam,
Et pręficarum munus exsequi luctum,
Quem fama terris posterisque venturis,
Pado Batavus Adriæque tramittat?
Amice nescis; inclytus licet fandi
Et luctuosus prædicator erepti; (scis,
In morte tanta quod miserrimum ne-

Et pene tanta luctuosius morte,
Nec expiandum februisque luctuque:
Fuere Musæ. vixit Heinsius vester,
Amice, vixit. Ille sedulus quondam
Lætusque cultor dulcium Camœnarũ,
Idemque laudis impotens Molineæ
Et æstimator & superbus interpres.
Ardoris ipse vix sui capax quondam,
Nunc derelictus omnibus miser Musis,
Perculsus oppressusq;, mutus, elinguis,
Non verba voci sed silentium præstat
Inominato nec domabili letho.
Si quid relictum est ultimę tamen voci,
Quod lingua victa tinniat, manus signet,
Qualis supremæ conditur voluntatis,
Vrgente lętho summa cum dies vergit,
Lex non amœna, quam tabellio firmat
Suique testes & domesticum nomen;
Hanc dictionem, ceu novissimam, tolle:
SIBI ET MOLINO QVI SVPERSTES EXSTINCTO EST,
SIBI ET CAMOENIS HEIC PARENTAT EXTINCTIS.

DANIEL HEINSIVS.

IN

IN OBITVM
ILLVSTRISSIMI
DOMINICI MOLINI,
Ad excellentissimum
FRANCISCVM MOLINVM, DOM. FR.
D. Marci Procuratorem, &c.

QVID SOLVM ADRIACIS NEPTVNVM QVÆRITIS VNDIS?
CERTVM, HIC CERTANTES TRES COIISSE DEOS.
CREDITE DIVISVM, VICTIS TITANIBVS, ORBEM.
HIC DATA GERMANIS CREDITE REGNA TRIBVS.
NEPTVNO MARIS IMPERIVM; TIBI CESSIT OLYMPVS.

IVP

IVPPITER; INFERNAS SVSTVLIT ORCVS AQVAS.
NVNC GRAVE DISSIDIVM, TERRIS CEDENTE MOLINO,
ET PVTAT HIC SORTEM QVISQVE VALERE SVAM.
ATNE DIRIPIANT FRATRES, ET NOBILIS VMBRA
ELYSIVM REPETAT DILACERATA NEMVS.
PROTINVS ADMISSIS ASTRÆA SVPERVENIT ALIS,
ATQVE AIT, HÆC NOSTRO LIS AGITANDA FORO,
CVM VENETVM SINE LABE DECVS, SINE SORDIBVS VLLIS
VIXERIT ERIZZI MAXIMA CVRA SVI.
IAM RVDE DONATVS, JAM VITA CÆLIBE CALES
RES SIBI SVMMANVM JVS SIT HABERE SVAS.

FA-

FAMAQVE CVM VOLITET TOTO CELEBERRIMA PONTO,
SIT SATIS ÆQVOREO GLORIA TANTA DEO.
GAVDEAT HAC ANIMA COELI REGIONE RECEPTA.
IVPPITER. HAVD FRATER LVDIFICANDVS ERIT.
HIC, TIBI CVM VITÆ PERNERINT FILA SORORES,
INVENIAS FRATREM, MAGNE MOLINE, TVVM.

DOMIN. MOLIN.

REIPVBLICAE. VENETAE. ACADEMIAE. PATAVINAE. OMNIVMQ. PER ORBEM. VNIVERSVM ERVDITORVM BONO NATVS. ET. EORVMDEM DAMNO. DENATVS
A. CIƆIƆC. XXXV. NOVEMB. DIE. XVII

QVI.

QVI. ERAT. EIVS.
VITAE. ANNI
CLIMACTERICI.
LXIII. VLTIMVS.
MERITIS. INNOCENTISSIMAE. ANIMAE.
PROVOCATVS. ROGATVSQVE
AB. AMPLISSIMO.
VIRO.
ADOLFO. VORSTIO
ACADEMIÆ. LVGDVN. BAT.
M. RECTORE
LVBENS. LVGENSQ. SCRIPSIT
PETRUS SCRIVERIVS
LVGDVNI. BATAVORVM.
cIↄIↄ c xxxvi.

IN

IN OBITVM

Illustrissimi Herois

DOMINICI MOLINI,

Patritij & Senatoris Veneti,

Ad Clarissimum Virum

THEOD. GRASVVINCKELIVM,

in Curia Hollandiæ caussarum
Patronum disertissimum.



E quoque, me Divi suadebant fata Molini
Flebilibus lessum conclebrare modis.
Antenor turbatus adest, cohibetque volentem,
Et mea mox ventis verba recussa volant.
Scilicet illo suo qui numina numine vicit,
Heroiimque sacro sanguine natus erat,
Debuit aut nunquam tristi succumbere leto,
Vatibus aut saltē mors reticenda venit.
Oppida qui centum, felicia regna, tuetur,
Nil quod suspiciat busta Tonantis habet.

Illius

Illius heu frater (pietas quæ dedecet orbum?)
Euganea major nunc tumulatur humo.
Tu Grasvvinckeli ciliis applaude gementis:
Tristitiæ lacrymas maxima caussa negat.
Liberaque Hadriaci populi qui secula monstras,
Indigetes ostro dum micuere Patres,
Zueriaco credas motum sermone poëtam
Nec tacuisse satis, nec potuisse loqui.

IANVS BODECHERVS BANNINGIVS.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

In excessum

ILLUSTRIS ET NOBILISSIMI VIRI

CORN. vander MYLE,

Equitis, Domini in Myle, Alblas, Dubbeldam, Baccum, &c. Equestris Hollandiæ Ordinis, & Academiæ Leydensis Curatoris.

ORATIO VIII

SI in ea quidem gente, quã nulla & magnitudine virtutũ illustrior, & in earumdem æstimatione sanctior fuit, receptum olim laudatumque sit, ipso illo campo, in quo, rebus strenue ac feliciter exactis, publicam exspectationem

dem fortunæ sunt agnoscere tanta exempla possint & imitari, haud tacere de iis virtutibus, quæ profecto si in alios, ut omnium pulcherrima hæreditas, sic queant transferri, & Reipubl.; huic & Academiæ quandam rerum splendorisque æternitatem audemus polliceri. Erat hic quidem tuæ, Illustris Heinsi, incomparabili facundiæ locus, nisi privatum velut tuum & domesticum hoc vulnus, eam nunc maxime cohiberet. Dabis interim tu, dabitis, Nobilissimi Auditores, ut, quem pro dignitate reddere vobis non possum aut repræsentare, saltim non prætermittam: qui jam pridem intelligo in magnis exemplis plura esse, quam præceptis; cum hæc fieri tantum præclara debere, illa etiam posse, quod longe potius est, ostendant; & ea cujusvis ætatis tanto majori inspicio veneratione, quanto illa antiqua, ut origini & integritati suæ proxima, multo frequentiora;

tiora; noſtrâ vero, velut ſterili ac effetâ, rarius tanta offeruntur. Veritas autem iſtis inerit, ac optima fides; neque noſtrâ in dicendo mediocritate tantarum virtutum magnitudini quidquam decedet. Non enim, ut forſan alii, aucupandæ ſuperſtitum gratiæ defunctos celebramus; & apud eos dicturi nunc ſumus, quorum gravitati ac conſcientiæ, cum in plerorumque oculis publicè aut privatim hic vixerit, non licet illudere; & excelſæ illæ mentes, non ex laudantium ingenio, ſed ſuis meritis, & veris pretiis æſtimantur. Neque exſpectationem veſtram diutius trahere convenerit, cum per tot annos ac laudes nobis decurrendum, & à tanti viri primo vagitu ac cunis, quibus riſiſſe tum hujus quoque infantiam imperii crediderim, & adſediſſe Muſas ipſas, ut tanti patroni ſui alumnas, adſcendendum ſit, per tot gradus optime adoleſcentiæ, totdomi ſumma gloria & incredibili innocentia geſtas digni-

gnitates, tot foris obitas splendidissimas legationes, per tot prospera, tot adversa, ad ultimos singultus ejus & excessum, quibuscum publicæ jam lachrymæ, & hoc Academiæ nostræ justitium conjunguntur. Ex clarissima proinde ac undiquaque nobilissima, è qua prognatus est, gente, totque ornatissimis majoribus, satis erit solius patris meminisse; quo sub illustri exemplo constet, neque falsum semper esse, simul cum sanguine in posteros transfundi vim, mentem, spiritus majorum; neque semper verum esse, prosapiam Heroum decrescere indies, & in liberis fieri deteriorem. Est is Adrianus Mylius, in quem supremæ Hollandorum Curiæ Assessorem primo, dein Principem, omnia summi sanctissimique hominis decora confluxere; quæ maxime dubiis temporibus & afflictis aut nutantibus hujus Reipubl. rebus, tot per annos, in tot difficillimis negotiis probata, si pro dignitate referrem, funus veteris, & ipsa

cuna-

cunabula ac incrementa novi hujus nostri imperii, ad Annalium instar & amplitudinem hic venirent explicanda. Ad quos, jam vulgatos, eundum est illis, quibus inspicere curæ est, haud facile petendum aliunde hominis exemplum, in quo uno, animus non fractus adversis, par semper illis aut major, in tot curarum mole nunquam fatigatus; semper commodi publici studiosus, & ideo plerumque negligens privati; æquitas, fides, consiliorum promptitudo, constantia, & quidquid publicarum est virtutum, summa denique eruditio simul concurrêre. Neque enim tantus quis esse in Republ. potest, nisi simul sit eruditus; sicut nec quisquam eruditus est, qui non cum pulcherrimarum rerum scientia, earum doctores amore suo, complexu, & patrocinio dignos arbitretur. Itaque illum colere, velut Apollinem quendã Musarum, sicut ab illo colebantur, ut necessaria & præcipua rerumpubl. instrumenta, quotquot eâ ætate in Belgio

gio aut alibi eruditionis gloria erant insignes; Leonini, Hutteni, Albadæ, Feugueræi, Hopperii, Foresti, Giphanii, Rosini, Marnixii, Vulcanii, aliique; quorum ad eum de rebus gravissimis litteræ, Heinsiano beneficio, jam pridem publice leguntur. Hunc patrem Cornelius Mylius, ut filius non esset tantum, sed etiam agnosceretur, exprimendum sibi existimavit; non, Hercle, Apellis alicujus aut Phidiæ manu, vel, ad Romanorum instar, expresso cerâ vultu; sed eâ, tamque rara similitudine morum, ut uter in Reipub. administratione sanctius, & in litterarum ac eruditorum æstimatione diligentius versatus sit, cum uterque excelluerit, non facile possit dijudicari. Quanto minus est, quod plerique in liberis suis inveniunt ac admirantur, paterni vultus in fronte, oculis, aut genis imaginem, spolium sæpe morbillorum, caducam, perituram; cum haud alia ratione patres in liberis supersint, ac post excessum etiã ipsi lau-

dentur, & agnoſcantur, quam ſi eadem indoles, quaſi extremis tabulis ſimul cum fortunæ bonis tranſcripta, ut omnium pulcherrima, & longe cæteris potior, exſtare deprehendatur. Ad hanc excitatam à natura inclinationem, quam opportunitatem illi vocabant, acceſſit ſanctitas & ſeveritas educationis; qua in paterna domo, velut temperantiæ, modeſtiæ, pietatis, & cujuſvis moris optimi, ſplendoris etiam, officina, factum eſt, ut aliis mox traditus in diſciplinam, non corrumpi jam poſſet; quod in adoleſcentiâ, nullis egregiis domi exemplis confirmatâ, admodum eſt proclive; & cum eandem gloriam honeſtiſſima ambitione concupiſceret, nec ſine earundem artium præſidio eo perveniri poſſe intelligeret, non niſi in maximis quibuſque & aliquando ad Rempubl. admovendo profuturis ſe occuparet. Extulerat tunc primum, ſimul cum libertate ipſa, in hac urbe, incredibili fide tum defenſâ, hæc Academia caput; & quot

aliæ

alíæ sæcula, tot illa viros, undique evocatos, ingenio & doctrina in quovis disciplinarum genere maximos, numerabat. Justum Lipsium inprimis; cujus ut hodieque exstant & leguntur pulcherrima ingenii monumenta, (in quibus suo quodam scribendi modo, quem minime exprimunt, qui se sequi posse arbitrantur, neque sequi forsan deberent, est disertus) ita in ejus viri viva voce, quæ non nisi luculentissima quæque veteris sapientiæ præcepta, & antiquitatis abdita, præsertim Romanæ, quotidie dictabat, erat quod juventutis aures atque animos, velut suavi quadam, utili tamen, incantatione pelliceret, excitaret, detineret. Hunc docentem Mylius audiebat; tanta diligentia, ut eum plerumque, cum aliis, quos commoverat magnitudo & meritum viri, domo in Academiam, & mox iterum domum comitaretur. Enim vero id debere se agnoscebant, & deferebant Lipsio generosi adolescentes, ut prodeuntem, ac verba in publico

facturum, tanquam militiæ quendam imperatorem, & velut sacramento ac signo ad pugnam aut expeditionem vocati, in Floro suo vel Paterculo cum Veientibus, aut aliis, prœlio committendum; nonnunquam obsessurum muros Carthaginis; subinde in Tacito, cum Arminio aut Civili pro libertate adversum Romanos pugnaturum, plurimi, & idonea manu, sequerentur. Nam Ius Romanum aliasque severiores disciplinas mox inspecturus, illo optimarum artium comitatu, exemplis illis & facundia antiquorum, adversus salebras omnes, quæ in cæteris scienti is alias difficiliores offeruntur, sese muniendum, &, quo plus splendoris his conciliaret, istis etiam se ornandum censebat. Cujus tum judicii & diligentiæ adeo non pœnituit senem, ut illa non modo jucundissima adolescentiæ suæ tempora, sed & optime transacta apud amicos identidem commendaret. Quod quidem, Nobilissimi Juvenes, (ad vos enim ne-

necessario mea hic se convertit oratio)fatali secordiæ eorum opponimus; qui domi inter matrum indulgentiam, & in sinu nutricum corrupti, inferiorum Scholarum desertores potius, quam eas ordine emensi, ad Academias nihil conferunt præter inscitiam, &, quod longe deterius est, contemptum omnis ejusmodi necessariæ disciplinæ; ad titulos & inania prius adspirant, quam eruditionem; denique sine omni veteris & variæ illius sapientiæ comitatu, altioribus studiis immersi statim & illigati, quidquid in antiquitate reliqua egregium est, multoque usu, tantorumque hominum exemplo commendatum, fugiunt potius quam sequuntur; semper tyrones, dum, ut præposteri mortales incipiunt, ubi desinere debebant; & ; cum jam sibi videntur eruditi, plerumque loqui nondum possunt, tantum abest ut sapiant ex judicio, quos nunquã lectos damnant, sapientũ antiquorum. Qui morbus, qualis per hos annos

contagione quadam etiam has ſedes infecit, in tanto atrocius Reipub. exitium aliquando exibit, quô prima & falſa ſpecie magis blanditur, & diverſo ordine ſtudiorum tot illuſtres animę qualis iſta, decora plura & ornamenta, ac vim majorem ad hujus imperii adminiſtrationem ac curam contulere. Cæterum, cum jam exhauſtum ab eo eſſet, quidquid Academia hæc poterat conferre, de luſtrando Europæo orbe tandem cogitavit; & in Germaniam, Galliam, Italiam ſeſe contulit, longe aliâ, quam plerique, deſtinatione ac ſucceſſu. Iam enim obfirmatus animus erat adverſum vitia externa; & ea judicii maturitas ac rectitudo, ut ſeligere foris poſſet, quod domi ſibi ac Patrię aliquando eſſet profuturum. In ea omni peregrinatione aulas quaſvis & cum iis Academias inſpexit, ac quotquot ubique erant celebriores homines, eruditos inprimis, convenit, & quamdiu licuit ſtudioſe obſervavit; non equidem illos, qui

nihil

nihil præter pulverem sapiunt & umbram scholarum, veros vespertiliones, sed qui in summis dignitatibus positi, aut extra eas, inter antiquitatis amplexus ac æstimationem suorum interim temporum recentiorumque non erant incuriosi. Inter quos, ut de infinitis aliis nunc non dicam, Iacobum Augustum Thuanum, Marcum Velserum, Isaacum Casaubonum & tum colebat maxime, & post loquebatur. In quorum illo totius orbis gentium exactam cognitionem; in istius ore utramque veterem ac recentem Germaniam, cum origine omni, antiquitate, casibus, principibus, velut tabula explicatam; in hoc autem omnis eruditionis locupletissimum thesaurum, inter alia, æstimabat, &, cum summa ac interiori tantorum hominum familiaritate uteretur, in suos ipse usus seponebat. Iosephum Scaligerum, quem in Gallia adire desideraverat, in Bataviam evocatum à peregrinatione redux hic demum salutavit;

Academiæ interim huic gratulatus ac sibi, quod tanti viri adventu nonmodo magna accessio facta esset ad ejus recentem adhuc splendorem, sed quod simul cum eo huc migrasset quidquid ipsis Græcis & Romanis veteribus ignotæ, inauditæ esset doctrinæ; sed &, quod in patriam reversus in uno illo omnium omnino gentium ac ingeniorum eruditionem esset inventurus. Enimvero Heros iste, quanquam amplissimo imperio majorum exutus, nec Mastini ac Canis, summorum Principum ut sanguinem, & magnitudinem animi, ac spiritus quavis hominum & fortunæ injuria superiores, ita sceptra & pompam jam posset referre; ne tamen in illo exilio suorum, in illo naufragio rerum olim splendidissimarum, nullum vestigium superesset pristinæ istius & toti Adriæ quondam metuendæ majestatis, paterno exemplo monitus & tot Principum majorum, aliud regnum, quod non Benaco, aut angustiis Veronensium camporum, sed vix

vix toto hoc universo clauderetur, ingenii, doctrinæ, & sic æternitatis, invictâ animi contentione affectavit, & ejus statim sceptra totius orbis, ipsius quoque invidentiæ, judicio accepit; neque, ut Regum alii, cum vita id deposuit; sed post excessum etiam regnat, &, aut nullum aliquando pretium erit eruditioni, aut in omniū memoria posterorum ac admiratione semper est regnaturus. Hunc, ut debebat, maximi semper fecit, coluit; & illam scientiarum prope omnium ac linguarum officinam frequenter convenit, cum ex unius hominis colloquio ac congressu tantum, etiam quod faceret ad disciplinam civilem, edisceret, quantum plerique omnes Reipubl. impositi ignorarent. Et illi exactissimo ingeniorum severissimoque æstimatori ita vicissim se probavit, ut post officia primæ admissionis, apud Paullum Busenvallium, Christianissimi Regis tum legatum, virum prudentissimum, jam summa omnia de Mylio judicaret. Ac vos

sane, Auditores, si quidem adtentionem vestram meriti hactenus sumus, jam animo præsumitis quæ sequuta sunt, & ea omnia offertis hic vobis, quæ dehinc dicturi sumus. Cui enim ex illa adolescentiæ sanctitate, ex conquisitis undique præsidiis omnium illustrium studiorum, ex illo ad ubera & complexus tam prono, quam libenter admisso tot tantorumque sapientiæ doctorum, non jam colligere in proclivi sit, optimum virum, & Senatorem prudentissimum, & Musarum ac eruditorum hominum incomparabilem patronum; ut evectum ad summas dignitates, ita adversa omnia, velut in ipsa palæstrâ earum virtutum, quæ non cadunt nisi in generosas & sic pastas animas, constanter ac innocenter tolerantem? Mauritius Nassovius, ad cujus tanti Principis memoriam orbis iste universus etiam nunc adsurgit, cujusque cœlo suo pridem illatos triumphales manes, tanquam accinctos & pugnaturos, adhuc timent liber-

bertatis nostræ hostes; ac hęc Respubl. gratâ tot rerum felicissime gestarum recordatione semper veneratur, statim hunc inter eos delegit, quorum in illustrissimæ curâ domus, aliisque imperii rebus, consilia, industriam, ac fidem exercebat. In quo opere, & primis honorum rudimentis, quam magno ac incorrupto animo versatus sit, vel unius Principis gravissimum judicium hic fecerit fidem; qui quam hunc præ aliis dilexit tum ac æstimavit, tam in facta omnium & consilia intentus, cum in aliis alia atque alia requireret, à paucissimis admodum omnino sibi satisfieri patiebatur. Nam ut rerum dominis, qui forte sæpe gratiam ac amores suos in alios partiuntur, placuisse, non virtutis plerumque est, sed felicitatis; ita optimos, in quibus tanta judicii est, quanta summæ fortunæ magnitudo, nemo invadit aut possidet, nisi in quo concentus sunt atque excellentia omnium magnarum virtutum, & clarissima rerum in-

dies pulchriorum experimenta. Neque in eâ dignitate ille eruditorum æstimator animus defecit, sed tanto magis illuxit, & locum iis in aula ac pretium auctoritate & exemplo fecit; gnarus, nimirum, ut præsentia sibi sæcula optimi Principes potissimum obstringunt, ita ab istis solis egregia horum exempla memoriæ & imitationi posterorum commendari. Cæterum tot virtutibus major campus, quorumvis voto, debebatur; in quo non Principi modo, sed universæ etiam Reipubl. suam illam ad tuendam libertatem nostram indolem, cui tot majorum, & paterna inprimis, exempla præluxerant, pariter approbaret. Equestri igitur Hollandiæ Ordini est insertus, qui in hujus Reipub. Procerum supremo consessu omnium est primus. Ad quem florem Batavicæ nobilitatis ornandum non jam dicam contulisse eum, præter Myliorum veterem ac nobilissimam, & summis domi dignitatibus functam prosapiam,

sapiam, tot illustrium propinquorum splendidissimas imagines, Alblasiorum, Quekeliorum, Lindanorum, Doesiorum, Cemiorum, Egmontiorum, qui & Nieburgii dicuntur, aliorumque; sed, quod supra istas est, & maximi faciebat ipse, animum majorum; adversus ea, quę pervertunt alios aut mutant, immotum, invictum; meliores curandæ Reipublicæ artes edoctum, & solas istas admittentem; quem non adulatio, aut studia flecterent, sed cum ipsa ratione sentientem; denique spirantem nihil præter tamdiu & graviter adeo afflictam, atrocissimis insidiis petitam & exemptam, tot optimorum civium sanguine, suorum etiã, restitutam ac confirmatam, & in ejusmodi tantum hominum innocentia, constantia, ac fide, adultam, crescentem & tot jam annos triumfantem hujus imperii libertatem. Adeo ut pro eâ facturus verba, non alium se gereret, quam gravissimum ejus interpretem aut legatum; ejusdemque majestate

aç

ac caussa, velut parma, tectus, neque cederet aliis, alios expugnaret, omnium autem animos admiratione sui impleret. Mox in eum Senatum adlectus, cujus consilia cum illo supremo omnium Fœderatorum Ordinum conjunguntur, haud alium se ostendit, & major indies atque illustrior, & par majoribus, est inventus; non aliter ac Solem istum, è cubilibus emergentem, quo ad meridiem suum altius adscendit, continuo splendidiorem spectamus. Atque hic quidem mihi venia erit, si, quanquam in muniis obeundis harum dignitatum istius hominis excelluerint semper virtutes, plurima tunc optime consulta, & pro hoc imperio pulcherrime constituta uni haud tribuam, pluribus detracta, quorum laudata consilia, velut in quodam contubernio publicarum virtutum, & laudis gloriæque concentu, hic conjunguntur. Sicut enim in prœlio, in quo multorum manus pariter committuntur, quan-

quam

quam inter illos ſit, qui ſubinde fortius feliciuſque rem gerit, cæſis tamen aut fugatis hoſtibus, omnium id decus eſt, non ſingulorum; at in ſingulari vel paucorum certamine magis in aperto eſt uniuscujuſque animus ac vis; ita multo mihi vobiſque promptius erit, ex iis, quas ſolus, aut cum paucis admodum, geſſit exſequutuſque eſt, publicis curis, ipſam indolem viri ac magnitudinem pro meritis adorare. Harum vero, non ordine tantum temporis, ſed noſtræ etiam pietatis præſcripto eſt prima, quam Academiæ huic, & celebrioribus in ea viris, tot per annos, feliciſſime impendit; quo maxime nomine nunc atratæ ſunt iſtæ ſedes; & ſilent tot diſertiſſima ora, & mihi, qui ſemper imparem huc adfero facundiam, nunc etiam perculſam & multo ſingultu impeditam, gratitudinis pietatiſque noſtræ officia in illos de nobis ſupra fidem meritos manes, explicanda imponuntur. Enimvero eo tam illuſtri munere ornatus,

tus, non accessionem reliqui honoris, sed hunc ut primum omnium & maximum, quoque excelsior non poterat conferri, & habuit, & judicavit. Quod, aut nullum, aut vere generosi, & ad juvandas litteras nati animi est argumentum. Nam sane, majus longè est, quam, in abjectum, imperitum, incertum vulgus imperium exserere, ad clavum sedere Reipubl. eruditæ; & præesse sapientiæ doctoribus aut alumnis; & in una Academia non unum aliquod imperium, sed spes etiam universæ Europæ sibi demereri, déiq; cum obsequio referre certissimũ præmiũ æternitatis. Neque jam dicam ejus, & nobilissimi viri, Adriani Matenesii, auspiciis, quorum sanctissimi in hoc opere collegii pacem tot per annos nulla simultas turbavit, hanc ædem fortuito incendio, ruina & cineribus suis sepultam, in meliorem augustioremque hanc formam olim excitatam. Id enim in primo ejus aditu ipsa inanima saxa (ne in hujus viri laudes tantum homi-
nes

nes disertos existimetis) palam loquuntur; meliore profecto jure, quam olim apud Romanos eorum nomina, qui aut pontem Milvium refecerant, aut vetustate temporum porticus collapsas, marmoreis tabulis inscribebantur. Quippe, cum non tam parietes istos, & ambones, & subsellia, quæ tam frequentes nunc implestis, Academiam esse censeret; sed in omni artium ac disciplinarũ genere excellentes viros, qui ad quamvis sapientiam hîc viva voce juventuti, & in hoc litterarum otio identidem conditis ac editis ingenii monumentis, orbi universo præirent, & cum antiquis paria facerent, aut majora, huc potissimum se vertit; & undique eos evocandos, ac evocatos jam continuo ornandos, provehendos curavit; per quos ea sane huic loco per omnem Europam conciliata est existimatio ac fama, ut majorem votis concupiscere non possimus; & in omnium judiciis amplissimum ac prope unicum domicilium dicam, an re-

regnum, Musarum jam agnoscatur. Ac ut de pluribus quidem ille meritus est quam optime, (ex quibus, si meminisse jam omnium liceret, & loco, & venerabili canitie, ac sacrarum litterarum scientia primum se offerret nobilissimus Johannes Polyander Kerckhovius, quem à Dordrechtanis, hac de caussa ad eos ipse profectus, huic Academiæ, ad restituendam turbatam ejus pacem, tandem, feliciter impetravit) ita singulari inclinatione in liberalium artium Professores, & utriusq; promoscondos ac interpretes antiquitatis semper ferebatur. Quidni autem Dominicum Baudium, ut publicum testem, huc vocem; cujus tot litteræ, coagulum certe & myrothecium omnium venustatum, ipsos Mylii amores, & incomparabilem in admittendis ejus votis facilitatem, in explendis summa stustia testantur: qui quam locupleti fuit ingenio, & in dicendo scribendoque possedisse se ostendit omnem illam pretiosam supellectilem elegantiæ an-

antiquorum, tam adversus novercantem fortunam,& judicia hominum severiorum, in Mylii sui confugiens sinum, paratum semper in eo præsidium & afflictæ solatia mentis invenit. Grotii autem, cui nomini non nisi maxima omnia debentur ac tribuuntur, Vossii, Meursii. Cunæi, Merulæ, Cluveri, Scriverii, Barlæi, hujus Academiæ & eruditi orbis singularia ornamenta, quorum alii superstites Mylium ereptum sibi nobiscum nunc dolent, alii ad beatorum sedes jam pridem translati, eumdem nunc iterum agnoscunt, & eo loco, in quo demum sunt æterna præmia illustrium, grati amplectuntur, haud ægre patientur sub unius illustri exemplo patescere: quantum illud sit, quod hæc Academia illi prope soli referre debet acceptum. Est is Daniel Heinsius, de quo si summa omnia dicam, nihil auribus ejus à me dari existimetis; qui tam procul ab omni adulatione absum. (neque, Hercle, ea for-

fortuna nostra est, aut eo loco sumus, ut cuiquam necesse sit adsentari) quam excellens ejus ingenium & eruditio infinita, omnia, eaque disertissima, laudantium ingenia jam pridem exhausere. Neque interim modestia ejus nunc intercedet, quo minus non tam ipsi, quam Mylio sua hic deferamus. Qui cum Heinsium jam tum à prima adolescentia ad maxima omnia generoso impetu contendentem, & gravissimo Scaligeri sui judicio, ejusdemque summo amore, (cui paternus omnis cedit, & acerrimum illud judicium suum ille eruditæ gentis Princeps semper præmittebat) ipsisque studiorum crepundiis, quibus impar aliorum senectus ubique adsurgebat, expositum famæ simul ac probatum, haud aliter ac filium dilexerit, & in eum omnia, quæ eruditis tribui hic possunt, quæ Academia hæc habet, contulerit ornamenta & spectatissimas dignitates, Mylii profecto est, quidquid est Heinsii, sic excitati magis indies meritorum. Quæ in-

gentia esse qui ignorat, næ ille nescit, ad unius fere viri longe florentissimum ingenium ac incomparabilem doctrinam quasi emotam sedibus suis totam olim pacatam Germaniam, has, tot per annos, tanta frequentia implesse ac ornasse; in Gallia atque Britannia, inter principes viros, hoc potissimum nomine, summam de iis, quæ hic coluntur, studiis famam excitatam; denique Italiam ipsam Transalpinis, & inter eos huic præsertim, constantibus & adhuc iisdem judiciis detulisse ac deferre litterarum principatum. Neque enim ille Academiæ nostræ, ille tot clarissimorum hominum pater (haud enim aliud majus aut sanctius, ejusque meritis vel nostris debitis exprimendis magis adæquatum hic referri potest nomen) amorem tantum, sed summum etiam judicium in his ostendit: quo interposito, ut omnia, quæ fere inumera sunt, semel dicam, publice quavis eruditionis, ac eruditorum, pro cujusque magnitudine, quod

sane justissimum est, vota, eâ, qua plurimum pollebat, auctoritate, explevit privatim vero, non accurate præscriptas ab aliis comitatis, ac benevolentiæ omnis leges tanto exemplo absolvit, sed etiam alias, earum virtutum, quæ adeo gratæ sunt, doctoribus ignotas, aut certe non traditas, profecto ab aliis vix unquam expressas, libertate judicii sui adjecit. Quidquid in tantorum hominum scriptis, ea editis tempestate; est illorum velut cœlo lapsorum & vere perpetuorum ignium; quidquid spiritus generosi & antiquorum, quidquid antiquitatem in iis superat subinde, plerumque cum ea contendit, quidquid est quod adorant & suspiciunt tot nationes, quidquid in iis posteritas cum veneratione quadam semper intuebitur, Mylii est; Mylius, cum ista ex merito æstimaret, & extolleret auctores, spiritus illos dedit, illas faces summis ingeniis subjecit. De quo si quis debitet, inspiciat pleraque eorum & pulcherrima quæ ex-

exſtant, & haud dubie futura ſæcula intrabunt, monumenta: quæ non in Principum aut Regum, qui ſæpe iſta inviti emunt, ſed unius Mylii, Regibus certe aut Principibus hic non cedentis, eruditis autem ſuſpiciendo, ac vere auguſto nomine aperiuntur. Non patiuntur alia adtexi, quos ego, in quo tamen nihil eſt, præter animum ad eruditionũ pro virili contendentũ, quiq; quantarum rerum jacturam privatim fecerim, hic intelligo, ſuboriri ſentio ſingultus; qui in abdito conclavi ac ſeceſſu opportunius erumpent, quam hoc loco, in quo attentio veſtra cætera dicendi mihi imponit neceſſitatem. Muſæ interim ipſæ ſemper ea, in quibus nos defecimus, gratæ agnoſcent, & illuſtriora ingenia luculentius aliquando commendabunt, Nam, cum infinitus iſte & tam prolixus amor in eruditos, ac in juvandis eorum commodis, & cognoſcendis, ut ſatisfaceret, votis perpetua ſolicitudo, non intra Academiæ hujus

ne agnitam confirmatamque iſtius Reipubl. libertatem repreſentare aliis, earumque fœdera ambire & ſocietatem, pro robore ſimul & gloria videbatur. Erat autem ex iis dignatione præcipua Sereniſſima Reſpub. Venetorum; ſi antiquitatem ejus cum recente noſtra contenderent, plane diſpar, ut quæ Adria & invictis ſuorum animis tuta hactenus & fortiter defenſa, ejuſdem imperii, velut ætatis ſuæ, annos ſupra mille ferme trecentos numerabat; at ſi idem ſtudium libertatis; ſi eorumdem hoſtium inſidias; ſi ſitum, commercia, navigationes; ſi tot in Europa Principes, & paucas numero Reſpub. propter libertatem obſequentium exoſas illis, qui principatum cum libertate non conjungunt; ſi in Ottomannici imperii aula & alibi, coeuntes jam aut coituros utriuſque populi legatos, nemo non cum noſtrâ fœdere conjungendam judicabat. Cornelius Mylius delectus eſt, qui primus ea legatione fungeretur, & animos

tentaret, & officia hujus Reipubl. offerret. Quod tanto magis arduum fuit, quanto de Venetorum in nos studiis minus hactenus constabat, & Hispanorum ac Romani Pontificis insidiis, totius legationis ac simul hujus imperii, quod jam contemni non debebat, gloria atque institutum turbanda metuerentur. Quod vel ideo hic dicendum erat, ut ex eo quoque magnitudinem viri colligeretis, qui felicissime, & pro laude ac exspectatione publicâ, omnia confecit. In Galliam profectus, Henricum Magnum, ut jussum erat, salutavit; &, super ea legatione prudentissimi Regis consiliis quęsitis, in equestrem S. Michaëlis ordinem est cooptatus. Apud Venetos autem maximâ pompâ, summisque studiis exceptus, mox cum Hispanorum Legato, & Pontificis Romani Nuntio est commissus; cum hunc tamquam rebellis populi caussam acturum & adversæ deditum religioni, quæ illi maxima præ se ferunt nomina odiorum, neque

neque audiendum, neque eo honore, qui aliarum gentium Oratoribus defertur, porro ornandum, clam, palam, diversis artibus urgerent. Namque iste injecto ex Philippi sui per Italiam late exporrecto imperio & potentia metu; hic sacra prætexens, & remittendas decimas, quæ Ecclesiasticorum ut vocant, bonorum nomine Romanæ Sedi hactenus oblatæ, & alia magnifice pollicitus, constantiam sanctissimi Senatus, sed sic nunquam victam, aggrediebantur. Quibus cum Lernis fortiter prudenterque colluctatus, ac statim superior, eo se splendore circumfusum continuo vidit, quo paullo ante extra ordinem missus Hispanorum Legatus, apud Patres, clauso serenissimi Ducis latere, verba ea constantia, gravitate, sapientia fecit, ut caussa hujus Reipubl. strenue actâ, eidem summa de eâ, & Mauritii Nassovii, Imperatoris invicti, rebus, ac de se etiam judicia extorqueret; ejusque tum fœderis jecit fundamenta, quod

post percussum, summa fide à serenissima gente & Fœderatorum populo observatur. Equidem agnosco, plurimum ejusmodi homines posse per eam, quam repræsentant, publicam majestatem, & æquitate ac magnitudine caussæ, quam agunt; interim haud minus in confesso est, tanti Principes & Imperia omnia fieri, quanti fiunt illi, per quos aliis Regibus vel Nationibus sistuntur; & optimis caussis plurimum sæpe decedere impari eorum ministerio, quibus creduntur. Referrem, ad eundem Christianissimum Regem cum Brederodiis, & Maldereis, nobilissimis ac summis viris, iterum susceptas; atque mox, eo paullo post parricidali manu interempto', à solo Mylio, nostros etiam cum graviter adeo tum sauciata Gallia conjuncturo luctus apud Reginam Matrem, & Ludovicum decimum tertium, nunc longe lateque victricia circumferentem arma, tunc minorennem, summâ fide & ex voto peractas le-

legationes, nisi id omne non tam orationis unius, quam Annalium esset argumentum; in quibus alii, aut fortean ipsi, si in plures curas vitam producamus, omnem ejus incomparabilem prudentiam & facundiam, Regem omnium maximum moventem; minorenni instillantem eos amores, qui in hoc imperiú nunc quoq; durant; denique detinentem totam serenissimam Rempubl. ac in nos inclinantem, nullis adversariorum artibus victum, omnibus majorem, velut in aperto magis campo, aliquando sunt representaturi. Neque intra ista tantum conspecta & admiratione fuit adeo excellens & decora jam virtus. Nam cum plerumque nōn ejusdem sit, in prosperis & adversis eandem animi magnitudinem, innocentiam, constantiam retinere; in his quoque cum atrocissimis tempestatibus fortiter luctantem, & sic brevi emergentem, tantum virum videamus. Non est nostrum nunc multis tangere Reipub. vulnera, &

aperire obductas pridem cicatrices. Quod mihi facile dabitis, Cives, quibus nec ista sunt ignota, ac non sine mœrore summo repetuntur; &, qui ex dissitis huc confluxistis locis, haud ægre ignoscetis, si in hujus adeo illatæ rei commemoratione tam prolixus esse nec possim, nec velim, quam vos quidem estis curiosi. Unum id suffecerit hic mihi, & optimorum omnium ac Rempub. cæteris præferentium imitatione semper exprimendum est, Cives; quod, temporibus omnium difficillimis, domestica pace intestinis discordiis turbata, & convulsa prope tota soceri, Iohannis Oldenbarneveldii, multæ auctoritatis ac dignationis viri, paullo ante florentissimâ domo, cum solicitudo publica nihil relinqueret inexcussum, intentatum, hunc semper agnoverit innocentem. qui quod ita tum ferret Reipub. ratio, quæ quo securior esset integerrimos quosdam, utili prudentia, tunc habuit suspectos, ad tem-

tempus sepositus, cum consilia non posset, pro nostrarum rerum pace ac æternitate cum optimis sanctissima vota conjunxit, eâdem in Deum semper & Patriam & Principem fide. Iccirco ad gestas olim dignitates tandem iterum vocatus, & plane idem est reversus; non aliter ac Sol iste, Auditores, fœdas nubes, & obductam caliginem, vi suâ disjectas, perruptas, idem redit, nullum pristinæ lucis splendorisve sui passus decrementum. Nisi quod, sicut iste, post aliquot dierum nubila, gratior nobis exoritur, ita desideratissimæ hujus virtutes, post adversa omnia fortiter, & Heroum animo excepta ac tolerata, celsissimo Principi, Frederico Henrico; in quem velut quodam totius humani generis Senatus consulto Invicti jam collatum est cognomentum, & cujus amor semper hic fuit; ac optimis quibusque inter Proceres ac cives magis gratæ acciderint, visæque sint illustriores. Ac jam pristinis in Repub. honori-

bus receptis, haud multo post novo insuper, in filio, Adriano Mylio, Blesskensgraviæ toparcha, auctum se ornatumque senex vidit, qui in spem ac præsidium Reipubl. eductus, cum ad avitas paternasq; artes militiæ etiam laudem feliciter conferret, optimi Principis judicio dignus habitus est, qui VVilhelmostado, oppido quod inter munitissima ac præcipua hujus imperii claustra est, præficeretur. Neque jam quidquam illi vel nobis restabat, nisi ut eruditis hic quoque, ac Musis nostris, redderetur, ne eædem, quæ olim, &, si augeri potuerint, majores jam virtutes non iisdem præmiis ornarentur. Ad cujus certe lætissimæ rei famam excitata Academia omnis, mox in amplexum ejus se effundere; &, licet senio jam, macie ac venerabili canitie alium ac mutatum, eumdem tamen, & eodem in se animo, denique velut redivivum & postliminio reversum parentem agnoscere; quævis nostra desideria iterum admittentem,

tem, quævis expleturum. Nam ad veteres curas, (amores suos & omnium suavissimas occupationes senex vocabat,) gnaviter reversus, ante omnia de restituenda Academiæ pace, nescio quibus dissensionibus nuper convulsa, & revocando decore atque usu omnium illustrium studiorum, adversus fatalem quamdam eorum hic tabem, & inordinatos, præposteros, ac vagos illos in discendo impetus juventutis, serio cogitavit. Equidem meminerat meliorum istorum temporum, quibus utriusque antiquitatis & litterarũ studiis vera æstimatio ac pretium suum hic erat, imo, ut merito sic dixerim, studiorum istorum quasi solium quoddam & regnum; quæ magno multoque ex usu gravioribus disciplinis, Jurisprudentiæ inprimis, præmittebant ad Rempubl. admovendi, eamque post aucturi, adolescentes. At ex aliis jam moribus, & Academia hac maxime parte ægra, saucia, non nisi perniciem publicam pro-

videbat. Dabitis mihi, Juvenes nobilissimi, inprimis Cives, spes patriæ, & si ista imitatione exprimitis, inter ea laudandi olim exempla, qualia nunc extollimus, commendamus, ut tanti viri postrema vel desideria, vel mandata hic exponam; quæ quidem tanto sanctiora vobis debent videri, quia ejus sunt, qui sui auctoritate exempli, domi, foris, in Republ. & Academia maximus, ea confirmavit. Quid enim omnis illa juris Romani scientia, nisi alia etiam præmittatur, aut accedat? Quid jus illud privatum, nisi ad illud publici quoque majestatem conferamus? Quid Titii & Sempronii controversias de fundo, de adeunda hæreditate, de finibus, aliisque ejusce-modi minoribus rebus ex æquo dirimere, & interim quomodo finiendæ gentium lites, ut imperii decora conservanda ac majestatis, denique quomodo tenenda omnis Respub. sit, ignorare? Quid tandem, quæso, profuerit urbanorum & rusticorum prædiorum,

de

de quibus juris vestri loquuntur au-ctores, examussim didicisse servitutes, si ad curam imperii aliquando vocati, impares rebus, nec animo complexi fitis illa tam utilia, quam necessaria præcepta, quibus, inter tot dissidia Europæi orbis, inque tanta potentissimorum Principum, aliorum rebus insidiantium, ambitione & accepta à majoribus libertas integra conservari, & imminens aut imposita jam servitus depelli possit & averti? Quid denique scientia & usu illustrius existimatis, in caussa stillicidii tueri desideria hominis privati, an vero repetitis antiquorum sive monitis, sive exemplis, in tot jam bellorum, præsertim civilium, caussas recto judicio posse inspicere, iisque excussis ac sublatis, sistere magnitudine optimi consilii illud profluvium sanguinis humani, quo ita fœdati sunt Europæ ubique campi, ita flumina & maria infecta, ut florentissimarum pridem gentium, non jam dicam exsequias, sed, post illas, vix ossa

ac cineres videamus? Non quod cætera illa negligenda, Auditores, sed quod vir maximus, utrumque illud, & quod privatorum & quod Reipubl. est, ab illis conjungi admodum vellet, qui ad communis patriæ commoda destinati, in arduorum operum tractatione, sive domi, sive foris, apud fœderatos Principes populosve, nisi minores esse velint, hæc nec possunt nec debent ignorare. Ego sane quotiens ad res nostras converto oculos, ita invenio, non tantum prodigio quodam inusitatæ felicitatis, & rara quadam cœli indulgentia eas ad hanc magnitudinem esse provectas, sed etiam incomparabili quadam sapientia eorum hominum, qui in his ipsis sedibus pulcherrimarum omnium artium disciplina instructi, gerendis mox publicis rebus impositi, non patriæ tantum universæ, sed totius terrarum orbis, etiam hostium, judiciis suarum vitutum admirationem extorsere. Quorum excessum, cum pauci hodie

die tales superſint, niſi excipiat par ardor & contentio poſterorum, præſertim veſtra, Cives, in magno metu ſum fore, ut ſimulcum iliis ipſam Rempubl. amittamus. Quæ ſi cui prolixius dicta videantur, næ iſte quidem ignorat, cum contumacia morbi hic nobis eſſe pugnandum; & qui deflexiſſe ab inſtituto exiſtimat, non iſte quidem intelligit, ultima ſummorum hominum deſideria, cum omnium ſanctiſſima, hæc etiam neceſſaria ſint, nunquam ſatis commendari; & ad præcipuam laudem defunctorum pertinere, eorum pulcherrima ſive præcepta ſive vota, imitationi ſuperſtitum proponi, & quod longe amplius, ac veſtrum nunc eſt, eâdem repræſentari. Cæterum inter has curas ac cogitationes, ne de aliis nunc dicam, in quibus priores, cum excedere jam non poſſet, eâdem ſimilitudine expreſſit, inter pallentia & conſternata ſubſellia hujus loci, tandem prope defecit. Illo enim die, quo Fredericus Spanhemius, ejus etiam con-

ſilio

filio à Lemano usque lacu huc evocatus, ut Rheni nostri gloriam augeret, sicut nunc auget, quot petitus votis nostris, tot jam major inter sanctissimę professionis auspicia, majestate non argumenti modo, sed dicendi quoque, ut omnium, ita hujus etiam attentionem explebat, divinis & cœlestibus tantum tunc inhærens ejus animus à corpore divortium facere, &, Academicas res, pariter cum humanis omnibus, deserere velle videbatur. Profecto neque extra gloriam, neque solatium ei fuisset, hic mori, ubi, quaqua se converteret, non nisi illustris curæ suæ monumenta, non nisi suæ sedem ac arcem æternitatis, tot devotos sibi tot obstrictos, tunc etiam commotos, perculsos, videbat; ut, inter oscula proximorum & amplexus haud illubenter illi moriuntur, qui inter omnes laudes vitam transegere. Sed ut parentibus inter extrema haud ingrata adcidunt liberorum officia & adspectus, interim liberorum oeulis nullũ vel

atro-

atrocius, vel tristius spectaculum offertur; ita etiam tanti excessum viri oculi nostri haud potuissent sustinere. Igitur, post vires corporis, quantum licuit, instauratas, Adolfii Vorsti, qui cum Medicæ artis scientia liberalem omnem eruditionem conjungit, proximo Academię hospitio exceptus, Hagā reversus cum ex ejusmodi pręsagiis ultima jam sibi intelligeret instare, contemptu rerum humanarum, neque interim iis neglectis, quibus, curas suas debebat, ac cœlestium meditatione totus distentus, constantissime fatum explevit. Qui casus ut Reipublicę huic & Academiæ accidit acerbissimus, ita si ipsum virum admodum lugendum nobis putatis, sanctitatem ejus & innocentiam, & tot merita, & debitum iis ac nunc factum locum, nondum satis ęstimatis; si autem nostrâ caussâ, profecto longe rectius atque æquius censetis. Equidem ubi hancRempub. inspicio, rarę quidem in ea felicitatis exemplum agnosco; at vero illa num, quam re-

cens est, tam futura sit diuturna, animus mihi incipit dubitare. Quippe, ut de prosperis nunc non dicam, quibus factum est, ut amissa & propemodum ignota nobis sit omnis majorum virtus, qua illi hoc imperium peperere, non tam Scaldi isto aut Vahali, aut Mosa, aut ipso Oceani ambitu, vel tot munitissimis urbibus, quam optimorum maximorumque hominum præsidio consiliisque hæc Respubl. conservatur. Qui ut innocentiam ac fidem & integras mentes pariter ac manus, adeo jam ubique inquinatas, & magna ac profutura consilia conferunt ad communium negotiorum tractationem; ita ea nunc in paucis inveniuntur; & hi humanis exempti rebus continuo ad plures, haud dubie ira quadam immortalis Dei in perversos mores nostros, evocantur. Quid enim per hos dies, nisi publica funera, & cum iis ipsam patriam velut tumulo inferri, spectamus? Profecto fœminarum est, vanis lamentis priva-

tos

tos luctus augere, sed virorum, in quorum sinum ista, ut in libertatis regno, mœsti effundimus, publicos istos non tam questu & lachrymis, quam veris judiciis excitare. Quæso vos, inprimis Cives, quam felices hactenus inter omnia Europæ imperia, adeo commota & turbata, tam securi non simus. Foris victores, aut non victi, domi debellamur. Alibi adversa subinde prœlia sunt, & ad internecionem delentur, robur gentium, legiones; sed quibus eæ suppleri, aut ex quibus novæ constitui possint, quotidie nascuntur: nobis autem, qui domi hostem ignoramus, & quum alii injurias & incommoda sentiunt etiam felicium bellorum, tam ex iis uberrimum fructum reportamus; non dato pugnæ signo, extra prœlium, tot maximis sanctissimisque viris per hos dies ereptis, & atrocissimæ & frequentissimæ jam clades inferuntur. In quibus velim non unius hominis, quod pluribus plerūq; privatis, quam publicis

cis

cis lachrymis componitur, funus, sed totius patriæ, quæ in singulis exstinctis sic perit, & ad instar viduæ aut pupillæ sensim exuitur omni patrocinio suorum, aut tristissimas exsequias, aut velut morientis singultus, aut, tanquam in summa necessitate similia exempla implorantis quas etiam hic audire mihi videor, voces æstimetis. Habuit illa tot annos & gravissimis rebus impendit, & quibusvis impositum probavit, ac jam desiderat Franciscum Aerssenium Somelsdicium. qui rara quadam & divina indole; quam & naturæ bonitas, & illustrium cultus studiorum, & paterna ac virorum Principum disciplina ita in omnibus perfecerant, ut cum summis negotiis gerendis imponeretur, ob magnitudinem ingenii, judicii, ac industriæ omnes, etiam hostes, primum hujus sæculi virum eum judicarent; qui in quovis publico hujus imperii Senatu præ cæteris conspicuus, auditus, laudatus; per tot ardua, quæ domi aut foris confecit,

ſecit, negotia exercitus; ad tot Reges, tot Reſpub. legatus, tot maximorum Regum amor; hujus etiam Academiæ, & eruditorum in eâ hominum incomparabilis patronus, in omnium judiciis ſtupendus, conſacratus, id ſui deſiderium reliquit ac exemplum, infra quod ſuccumbet omnis imitatio poſterorum. Cur enim a Mylio eum hic divellam? Quippe, quanquam privatis, ut fit inter homines, & temporibus turbatis, diſſidiis aliquando diviſi, quæ pacata tandem penitus obliteravere, ob eandem tamen in Rempubl. fidem, ob eandem innocentiam, eodem cœlo & mutuis amplexibus haud dubie jam conjunguntur. Iacobus Brouchovius, qui in hac urbe ſumma fide toties geſſit conſulatum, immortuus nuper eſt iis curis, quas in ſupremo hujus Imperii Ordine cum cæteris ſociabat. In quo effulſit ea in obſervanda diſciplina publica, tot pulcherrimarum rerum noſtrarum unica matre olim & alumna, ſeveritatis & caſti-

castigati omnis incorruptique moris imago, ut diversi sibi conscii, aut aliter animati, ne quidem adspectum ejus tolerarent. Erant adhuc recentia ista patriæ vulnera, & nondum coierant cicatrices, cum novo & atroci ictu iterum sauciatur, erepto optimorum omnium votis, & ad alias sedes Mylio jam translato; in quo uno tanta amissa sunt, quanta & jam laudavimus, & difficillimis istis temporibus nequidquam querula Respub. requirit. quorum quamtumvis sancta, & in animis nostris, ut templis, dedicanda sit immortalis memoria, ut recte regundæ Reipubl. absolutissimum exemplar, sicut apud Romanos olim pignora imperii ancilia & inexstincti Vestæ ignes; tamen eo major miseratio patriæ hic me subit, quanto difficilius, rarius, & vix singulis sæculis invenire est tantis virtutibus ac meritis adæquatam imitationem. Sit sane apud alios Tiberio Cæsari fides, qui, cum ob excessum optimi Principis Germanici, me-

melior & futuri providens pars Romanorum, velut mentis impos & compulſa ad ultimam deſperationem, recens natos liberos in publico exponeret, deſereret, velut jam pœniteret fœcunditatis, neque ullum queſtibus poneret modum pro ſolatio adtulit; Principes mortales eſſe, Rempubl. æternam; mihi, ſane, non eſt dubium, quin ejuſcemodi illuſtrium hominum exceſſu ipſa contabeſcant & deficiant Imperia, ac tandem tota efferantur. Sed quid interim Muſis noſtris fiet? (Te inprimis hic convenio, Iacobe Goli, Magnifice Rector, cujus non tantum raræ eruditioni, qua fit, ut totus hic Oriens refereretur, ſed etiam ſingulari curæ, ac prudentię publicum hujus Açademię egregium jam plurimum debet, voſque, Viri Collegæ, quorum ipſa nunc ora mœſtos ſolicitoſque animos veſtros teſtantur) quid eruditioni? quid nobis qui hactenus alacres contendimus ad ejus invadendam poſſeſſionē? quid ipſis eruditis?
Qui

Qui sine ejusmodi Apollinum auspiciis patrocinio, exemplo, auctoritate, neque provehere, neque retinere possunt vim ac gloriam illustrium studiorum. quibus imbutus Mylius ac confirmatus, tantum semper tribuit, quantum debebat; pulcherrimum eorundem usum, ac cultum, ejusdem fortunæ aliis & commendavit semper, & plerumque persuasit; eorumdem publicos doctores, aut in iisdem privatim excellentes, vel vulgatis ingenii operibus insertos famæ, domi, foris coluit. qui primæ apud illum admissionis; quorum sermones, litteras, vota, quanquam tot aliis ipse tractus curis, inter seria habuit, non, ut plerique alii, tantum inter remissiones: quorum denique monumenta, quibus solis quantum possint ostendere, & in tantorum benificiorum autores gratitudinem profiteri licet eruditis, ut pretiosissimam mercem, non ab usque Indo petitam, ubi vulgi judicio maxima possident Barbaræ & humanitatis ple-

plerumque expertes nationes, sed victricibus illis Tiberis undis, quibus tum se submittebat & Danubius & Orontes, subinde illis veteris Græciæ Athenis, sæpius ejusdem Parnasso vel Pindo, Iordane nonnunquam, & libentius admittebant, & sæpius tractabant innoxiæ ejus manus, quam auri proximi metalli lateres dextræ eorum, qui corrupti in Republ. & corruptores, fidem, & quidquid patriæ debent, everti sic sinunt & expugnari; qui denique hanc sapientiæ & æternitatis sedem, ipse, ob tot ingentia merita, in ea factus immortalis, suis cum aliorum studiis ac consiliis conjunctis, in id usque fastigium extulit, ut inter exules & extorres alibi Musas, inter ejectos undique eruditos, & Scholas publicas, vel injuria temporum eversas, vel eruditorum hominum inopia desertas veluti ac silentes, vel, paucis admodum exceptis, cali-

caliginem tantum infelicissimi sæculi, & Sophismata amplexas, ac melioribus, in hac litterarum luce, præferentes, nihil profecto jam desideret, præterquam in tanto Heroe datum nobis, & vix reddendum, amoris in nos omnes, & innocentes illas quas colimus, neque, quidquid tandem evenerit, unquam deserturi sumus, Musas, amplissimum exemplum. Quod haud minus rarum esse, præsertim in aulis, licet aliis quoque rationibus haud difficile colligere sit, tamen ex te, Constantine Hugeni, quem & maxime coluit, & fere unum, simillimum sibi, Mylius nobis reliquit, facillime cognosci posse judicarim; qui cum tantis honoribus omnis illustris doctrinæ scientia ac elegantia conjunctis, & non uno immortali opere, inter tot curas, expressis, hoc insuper propemodum solus nunc facis, ut in Optimi Principis judicio etiam valeant eruditi, & probentur felicium ingeniorum monumenta, denique ad venerandam supplice osculo victri-

victricem dextram, cum præcipuis, admittantur. Erant vero jam nimis gravia alibi accepta vulnera, ereptis nobis, in Italia, Dominico Molino, Veneto Senatore, cujus excessum eodem hic in loco veris aliquando lachrymis deflevimus; in Gallia, Nicolao Fabricio Peireschio, Senatus Aquensis Assessore, cujus laudatissimam memoriam universus Purpuratorum ordo, in alma Urbe, hac de caussa mœstissimus nuper celebravit; ac per hos quoque dies, in Suecia, Gabriele Oxenstiernio; in Dania, Christiano Frisio, & Oligero Rosecrantsio, qui præcipuis domi dignitatibus impositi, inter Septentrionis sui rigorem ac nives, inusitato quodam amore in eruditos semper arsere. Myliani enim isti manes, supra omnem invidentiam positi, tam illustres & sibi similes mentes, quarum consortio jam gaudent, in hujus quoque gloriæ societatem hic admitti haud agre patiuntur. Nisi in vobis, qui eodem cum tanto Heroë Trium-

viratu gesto huic Academiæ summa auctoritate hactenus præestis, Optimi Curatores; te, Iacobe Catsi, qui tot gravissimis pro Repub. illigatus curis, res quoque nostras, incredibili studio à te semper promotas, ad eas pertinere arbitraris, non tam ob alia, qui tot nunquam interituris incomparabilis ingenii tui monumentis te ipse jam posteris tradidisti, quam quia, quantus earum in Republ. usus sit, non tantum didicisti sed probasti; te, Gerarde Scapi, qui cum Amstelæ tui aucta gloria conjungis attollisque eruditi, sed nihil præter lachrymas nunc vehentis Rheni nostri splendorem: Nisi in vobis, invictæ hujus urbis Consules, ac, qui cum iis consilia hic conjungis, amplissime VVevelichovi, qui quanta constantia libertatis hostem à mœnibus vestris olim arcuistis, & quanto judicio hanc Academiam, ut rei omnium pulcherrimæ æternum præmium, intra ea admisistis, ita eos tuemini, qui cum barbarie, çum inscitia

tia quotidie hic committuntur.; Nisi, medius fidius, in vobis præsidium nobis nunc ac solatium esset, ea tam corrupta & vesana tempestate, ut, cum præcipue in hoc nostro litterarum regno valeant instrumenta æternitatis, iisque solis, sicut & magnitudine animi, non ex judiciis aliorum eruditionem, sed ex ipsa æstimantis, ulcisci injurias possimus, nihil propè præter odium ac contemptum optimarum artium, & illorum qui eas profitentur, tradendum posteris habeamus, nequaquam justissimi isti questus nostri finem hic invenirent. Tu interim, illustris Myli, qui, post propemodum ambustas inter incendia hujus imperii infantiæ tuæ cunas, tot adversa excepisti olim & tolerasti, eam tandem consequutus es quietis tuæ sedem, è qua nulla improspera propinquæ domus, simultates nullæ, nullæ suspiciones posthac dejicient te, aut deturbabunt; qui ad maximas productus in hac Repub. dignitates, omnium pri-

ma & verè æterna ac tot votis tuis petita jam ornaris; qui post tot Principum contactas dextras, tot inspecta ora, in istius omnium maximi Imperatoris amplexus ac æstimationem nunc totum te effundis, qui denique post Musas nostras tot per annos adversus injurias omnes & contemptum fortiter defensas, post tot promotos à te hic & ornatos, tot alibi cultos, ubique cæteris omnibus antepositos eruditos, illa cœlestissima luce nunc circumfusus tandem intelligis, summa ingenia esse, quæ, in istis sedibus demum perficienda, ad ignorantiæ confessionem hic profecere; accipe tamen, cum, quam tu quidem de his officiis nostris securus jam es, tam nobis non liceat esse ingratis, hanc publicam luctus & summæ in te pietatis nostrę significationem; donec Heinsii tui manus, qua ad procurandam tantis Heroibus æternitatem, & oblivionis omnes injurias profligandas nullam nunc ipsa eruditio vel digniorem habet

ber validiorem, tradat te posteris, & inscribat semper victuris monumentis. Saltem, quidquid evenerit, Reipubl. huic & Academiæ, si ingratæ esse nolint, (quod profecto nunquam sirit Deus immortalis) duratura hæc ex te supersunt, quorũ alterum inter fortissima solatia semper erit, alterum hos dolores & luctus nostros faciet æternos, perpetuum & desiderium tui & exemplum.

EPICEDIA

In exceſſum

Illuſtris & Nobiliſsimi Viri

CORNELII vander MYLE,
Domini in Myle, Alblas, Dubbeldam, &c. Equeſtris H[illegible]diæ Ordinis, & Academiæ Leidenſis Curatoris.

JOANNIS FORESTI,

Ad Nobiliſſimum, ac ſtrenuiſſimum Virum, ADRIANVM MYLIVM, Dominum Myliæ, Bleskensgraviæ, &c. Præfectum VVillemſtadii, ſuper vultu patris ejus, in capulo poſiti.

Parce, precor, lacrymis, ô Myli, parce querelis:
Hoc te ſic poſitum crede monere patrem.
Aſpice quam vivo, ſeque ipſo pulcrior, ore
Diſsi-

Dissimulet mortem, seque obiisse neget!
Luminibus, quamvis clausis, spectare gementes,
Et, clauso quamvis, dixeris ore loqui.
Illa quies vultus, tranquillæ mentis imago,
Non unquam dispar dissimilisque sibi,
Inconcussa manet, tota compage soluta.
Et superest aliqua sic quoque parte sui.
Hæc blandi facies epulantes inter amicos
Hospitis: inque ipso est funere triste nihil.
Talis ab Oetæo virtus Tirynthia busto
Accubuit dapibus concilioque Deûm.
Sic nos ille docet secum contemnere mortem;
Seque probat vita jam meliore frui.

Aliud ejusdem.

MYlius hoc vultu secum suprema peregit:
Sic prĕiit morti, dum trahit ipse moras.
Dum sibi præmoriens cœlo spatiatur aperto,
Et procul à terra corporeaq; lue est;
Sic animo veræ præcepit gaudia vitæ,
Vt moriens non se senserit ipse mori.
Jamque ita subductus morti est, non occidit, ille.
Vita prior vita continuatā nova est.
Quam sibi non vana spondebat mente superstes,
Illa fronte probat mortuus, esse datam.
Nulla vides toto lethi vestigia vultu:
Inque hilari remanet plurimus ore vigor.
Quam nihil in sanctum potuit mors invida pectus!
Carpere vix potuit corpus inane viri.

Ejus-

Ejusdem in effigiem defuncti.

MYlius hic ille est, spirans pietatis imago,
Virtutis vivum conspicuumq; decus.
Nomina quot felix Latium, quot Græcia ja-
ctat,
Tot simul hoc uno Mylius ore refert.
Hoc populis, latum ceu sidus, fulsit; & orbi
Publicus Orator, publicus hospes erat.
Hoc Antenoridas, hoc Regem, Gallia, ve-
strum
Flexit, & Hispani fœdere fregit opes.
Hoc patriæ clavo, curis insomnis, adhæsit,
Tempore tam longo conspiciendus Eques.
Res quoque Pieridum studio curavit eodem,
Officiis docti verus Apollo chori.
Et sua pars ipsis nunc est in funere Divis;
Nec solos homines perculit iste dolor.

Mylius, incoctum veteri virtute Batava
 Pectus, amor Patriæ lingua decuſque meæ,
Mylius, Aonidum ſacer à lanugine ſacris
 Quas ad canitiem credidit eſſe ſuas,
Iure ſuo ſæcli ſaturum caput inſitus aſtris
 Ivit ad Heroas, quos ſuperavit, avos.
Indulge lachrymis, Academia; ſive Maritum,
 Sive ſit hoc Natum perdere, ſive Patrem.
Quin triplici luctu quantum pia Mater Alumno,
 Crede Viro viduam ſolvere, crede Patri.
Si lachrymis implexa via eſt, quibus obruta cladi
 Fruſtra coneris congrua verbat uæ;
Accipe ſublimis de majeſtate Zuërî
 Qua flēdo ſaltem voce diſerta fleas.

Eſt

Eſt aliquid, quod mole ſua ſe prodere tardus
Inveniat quo non hæſitet ore dolor.
Deſine nos verò ſociis animata querelis
Poſcere præclaro debita juſta ſeni.
Facundam ſolis hodiè ſingultibus Hagam
In tanto pudeat funere, poſſe loqui.

Tot pulchras qui quondam animas, Heliconis alumnas,
Fovit, & asseripsit, Leida *beata, tibi,*
Musarum fatalis honor, virtutis imago,
Purius intacta cui nive pectus erat,
Victuri patris soboles castæque parentis,
Cui vix vel pietas vel tulit aula parem,
Fortunæ privignus, amor sed publicus orbis,
Qui non privato sueverat ore loqui,
Publica vox Patriæ toties, vix Regibus impar,
Quos junxit Patriæ, demeruitque sibi,
Qui Patriæ lachrymas Henrico *missus adempto*
In gremium effudit, Gallia *mœsta, tuum,*
Qui libertatis Reginam accedere gentem
Cœpit, & ad Venetos publica jussa tulit,
Mylius hic situs est. Docto Boxhornius ore
Europam ad cineres sacraque busta vocat:
Venturosque vetat post se nescire nepotes

Inge-

Ingenium tanti judiciumque viri.
Heinsius infelix, sibi jam vitæque superstes
Funeris & tanti pars, sua fata gemit.
Heinsius infelix lachrymas pro vocibus addit,
Mutus, inops animi, nec memor ipse sui.
Nec minus attonitæ squallent, mia cura, Camœnæ,
Effusæ in lachrymas, sed sine voce, Deæ.
Amisit toties natos Academia. Patrem
Quem dederat Musis nunc gemit illa suum.

CASPARIS BARLÆI.



UiPatriæ flos nuper eras, tutela Minervæ,
Et fulgens Batavæ Nobilitatis honor;
Auriaco dilecte Duci, dilecte Poëtis,
Omnibus erecta simplicitate placens;
Insontis mensura boni, mens nescia frangi,
Et conjuratis succubuisse malis:
Has terras, ubi fastus habet sua regna, relinquis,
Invidiæque senex pallida tecta fugis.
Non Reges legatus adis, donaris Olympo.
Post Venetos, Superis fas tibi posse (loqui.
Borbonii tactus radiis; jam tangeris astris
Altior, & vultu splendidiore ni- (tes.
Inter sceptra Deûm graderis, turresque potentum

De-

Despicis & nostros, verba remissa, Joves.
Non hic rura atavûm numeras, sed præmia recti.
Atque aliquid majus Principis ore vides.
Differt Fama decus. partem capit Adria, partem
Sequana. plus tanto Præside Rhenus ovat.
Unius sic terra viri est. quia scriberis omni.
Excitat hæc vates laudis arena tuos.
Obruimur rerum cumulo. façundia Phœbo
Deficit, & grandes conticuere tubę.
Jungitur Heroũ privato caussa dolori.
Et gravis est Celso tanta ruina Duci.
Nobilium marcent apices. ferale Lyceum est.
Palladis exstinctæ stãt sine luce faces
Mœret equus læsique memor nunc Ordinis, exit
Tristior, & guttis grandibus ora rigat.

Quin

Quin procul hinc lachrymis Alpina
cacumina ſtillant,
Purpuraque Euganeis Patribus atra
riget.
Quæ Mylii chartaſque meas vectare
ſolebant,
Funeris ad famam diſperiere, nives.
Me luctus jubet eſſe brevem. ſuſpiria
fontes
Et latices ſiccant publica damna
meos.
Adſtringor, velut acre gelu. neque fu-
ſa vagantur
Carmina, per laxas præcipitata vias.
In cumulum dolor unus agit Phœ-
bumque Deaſque.
Et tuus in punctum truditur amplus
honos.
At vos, qui cineres, etiam me tollite
vatem. (meæ.
Nunc animę poſſim prodigus eſſe
Dum ſquallent Schola, civis, ager,
cum Principe Patres,
Omne ſolum tumulus creditur eſſe
mihi.

NICOLAI HEINSII, DAN. FIL.

QVis mihi Pierios meditantia pectora lusus
Invasit nec opina dolor? quis tantus ab alto
Corde tremor, subitique injusso lumine fletus?
Cur digitis excussa chelys? cur pulsa sonare
Plectra negant, dextrăque sequi? quaenam invida pestis
Non expectato commutat gaudia luctu?
Ecce dies, ecce atra dies; cœlumque repente
Nubila contexunt, tenebrisque involvitur æther.
Nescio quod mihi grande malum praesaga minantur
Pectora, quicquid id est. nec enim sine numine Phœbi
Omina venturos praeeant tam certa (tumultus.

Quid

Quid tandem hæc sibi monstra volunt? rursusne profano
Contudit afflatu Cyrrhæa cacumina Python,
Et Clarias temeravit aquas, gravidaque sub alvo
Aonius considit apex; patiturque fugari (pharetra;
Phœbus,& exhausta defecit dextra
Fulminibus ne iterum dejectus, ut ante,paternis
Amphryso lympham Permessida mutat Apollo,
Terque juga Hæmoniæ rurisque in valla Pheræi (feracis
Regales observat equos; Pagasæque
Mirantur taciti lugubria carmina montes?
An Pindum Titanes habent? rursumne nefandus
Polluere hospitii meditatur sacra Pyreneus,

Et nostras violare Deas? damna, horrida damna
Aonides Phœbumque manent. Fatale malorum
Augurium est, & certa fides; inimicaque raro
Omina turbatas eludunt irrita mentes.
Hæc quoque, ne sint vera precor. sed Fama quid aures
Perculit attonitas rumoribus impia diris;
De Mylio superesse nihil, damnataque nocti
Pectora perpetuas numerare merentia luces?
Hoc erat, hoc quod muta chelys, quod turbidus æther,
Quod mœrore animus prædivinante canebat?
Heu dirum Stygiumque nefas! heu sidera tantis

Im-

Importuna bonis, inimicaque laudibus astra;
Hoc vobis licuisse queror! plus simplice noxa
Tantum funus habet. nimium, qua parte nocerent,
Tartara viderunt facilesque in crimina Parcæ.
Nam quid ego invita mediter testudine laudes
Exæquare viri, & meriti præconia tanti?
Primus ut Hadriaco dominantem in gurgite molem
Euganeumque sinum & Venetas accesserit oras,
Liberaque ad magnum tulerit mandata Senatum,
Cumque Antenorea sociarit fœdera gente.
Fœdera, queis tumidi vel nunc quoq; victor Iberi

Me-

Medoaco se Mosa probat: Mauroque fremente
Continuatur adhuc alti concordia cœpti.
Quidquod ad invictum Henricum docta ora moventi
Gallia supplausit, magnoque à Rege probati
Eloquium venerata viri est. quin ipsa fatetur
Belgica non alio se dignius ore locutam.
Ille patris dotesque sui meritumque Batavis
Reddidit orbatis (quo patria Præside quondam
Dicta fuit felix:) exemplaque tanta secutus
Vix habitura fidem, & laudati sanguinis hæres,
Alter ab æterno genitore domestica Musas

Nomina cum Phœbo Cyrrhamque
Heliconidaque undam
Hellade proſcriptam Batavas revo-
cavit in oras:
Palladaque Actæa fugientem juſsit
ab urbe
In noſtris ceſſare locis; cultuque bea-
vit
Neglectam potiore Deam. ſic laudi-
bus orbem
Implevit famamque ſuis. gnatuſque
paterque
Extulerunt æquis collapſas viribus
artes.
Nunc mihi, ſi quando, placidus
Thymbræe, dolenti,
Nunc totus noſterque veni; mecum-
que ſeveris
Invidiam facito Parcis. tibi ſumitur
ille
Qualiſcunque labor. nec enim ja-
ctura Deorum

Hæc

Hæc propius quenquam miserandaque funera tangunt.
Nunc pater ô, nunc, sancte, adsis, non vota modestas
Nostra preces superant, tantum meritura repelli.
Nec mihi deposco lymphas Helicone fluentes,
Aut latices haurire tuos. hæc munera lætis
Vatibus eveniant faustoque calentibus igni.
Ipse dolor lacrymæque tuæ fletusque verendi
Perculso viresque dabunt animumque poëtæ.
Hæc vati Permessus erunt. hoc fonte rigabo
Pectora, Pegaseos jam non sitientia ductus.
Tempus io lugere, pater! quin fronte coronam

Ex-

Excutis, & Tyrios tandem indignaris amictus.
Agnoscant populi, totusque intelligat orbis
Funera non unquã spectata prioribus annis
Flebiliora tibi.. nec cum (miserabile visu)
Squallidus extinctum Pataræis cautibus olim
Voce Linum cytharaque Linum plorante sonares.
Nec cum Bistoniis laniatum matribus Orphea
Responsaret Athos, Rhodopesque nivalia sacræ
Non interruptos iterarent culmina fletus.
Ille decus Pimples, incorruptusque tuarum.
Arbiter Aonidum, quo nemo sanctius alter

Bel-

Bellerophontei gemino de vertice montis
Castalias defendit aquas, quæ præside Cyrrhæ
Natalem poteras securus visere Delon,
Delphicaque æternis committere sortibus æra,
Et tripodes versare tuos, nunc vile cadaver
Nunc corpus sine mente jacet: solumque relictum est,
Quod vix exiguo dignetur terra recessu.
Quis tibi nunc, miserande Deus, quis debita posthac
Thura feret, Musisque sacros cumulabit odores?
Cui sua cantabunt æterni carmina vates?
Quis judex, quis censor erit? quis tempora nobis

Ornabit, frontesque intexet virgine
lauro?
Heu dolor! heu facinus! sic nos, mi-
serande, relictos?
Crudeles sic nulla tui reverentia
Divos,
Pensaque sævarum potuit revocare
sororum,
Et magnum differre nefas? Morti-
ne profanæ
Tam sanctum licuit niveumque in-
vadere pectus?
Phocis Hyantæa jam non exuberat
unda:
Nec Cyrrhæ latices, nec Pegaseæ A-
ganippes
Luxuriat per prata liquor: sed fron-
te negato
Deficit assuetos decrescens ripa mea-
tus,
Et turpi sensim limo vitiata resi-
dit.

Par-

Parnasſi defecit honos : totque inclyta quondam
Germina nunc lolio tribuliſque paluſtribus horrent ,
Et teneris ſteriles increſcant floribus herbæ .
Nonne vides , ſacri quæ ſurgit ad oſtia templi ,
Debilitata comas ut marceat , utque virentes
Frondibus obnubat ramos arentibus, arbor ?
Quæque prius pharetramque Dei cytharamque ferebat
Et laxos arcus ,nunc indignata recuſat
Depoſitum ſervare ſuum , penituſque reflexo
Pignora decusſit ſibi credita vertice laurus .
Nulla adytis reſponſa ſonant, cortinaque ſacros

egligit afflatus, tandem intermissa moveri.
Aspice, ut incumbant feretro, mutæque dolore
Oscula dispensent frigentibus ultima labris
Aönides, tumulumque rigent; passæque capillos
Pectora concutiant rigidis discincta lacertis.
Ipse Deus, Deus ipse chelyn discussit eburnam
Horridus, allisitque solo; pallæque superbæ
Exuviis constravit humum, vittataque mœsto
Vellera detraxit capiti; viduamque maritis
Crinibus excutiens Daphnæa è fronde coronam,
Taxea ferali sociavit serta cupresso.

Nec

Nec tantum Phœbo ; nec tantum vulnera Musis
Ista dolent, solæve in partem funeris adsunt.
Stat Virtus, stat Relligio, cessuraque terris
Iam Mylio moriente Fides, dextraque trementi
Non satis æquatam retinens Astræa bilancem :
Stat pellucenti velatus Candor amictu,
Dejectoque in humum pudibunda Modestia vultu,
Et nostris invicta comes Sapientia Musis.
Omnes attonitæ luctu, singultibus omnes :
Perculsæque molis suspiria pectore ab imo
Invidiosa trahunt, & fletibus æthera pulsant.

Ipsa quoque ad magnos non dedignata venire
Libertas cineres, dilecti in funere nati
Stat conclamatæ similis mortemque minanti;
Aureaque avulsit funestæ pilea fronti.
Tu quoque nunc, Pietas, (si pars tamen ulla relicta est
In te, Diva, tui) dignos accingere questus
Tristibus inferiis tantæque paratibus umbræ;
Vtque facis, lacrymis resperge fidelibus urnam.
Damna movent sua quamque: tibi miserabilis ille
Occidit ante alias. te primum hortante paternas
Ausus inire vias, altæque incumbere laudi,

Ar-

Arduus indomitusque animi. tibi, magna Dearum,
Acceptum ferimus, quidquid veneratur in illo
Orbis, & augustæ celebrant præconia famæ.
Mærori sed enim quis erit modus? undique vastus
Prorumpit sonus, & lamenta carentia voce.
Nos quoque, nos ad busta viri pompæque cruentæ
Exequias muti hæremus. dolor ille querelis
Altior est, lacrymasque animosus ferre recusat.
Ipsa mali mensura stupet: totamque ruinam
Non nisi venturos dabitur sentire nepotes.

CASPARIS KINSCHOTII. L. F.

SOlus qui poterat fugientes
sistere Musas,
Et Phœbum in Batavis detinuisse suis,
Slous barbariem nostris avertere terris,
Ne penitus victo figat in orbe pedem,
Myliades fatis rapientibus omnia cessit,
Luminaque ingentem destituere diem.
Myliadæ vatum decoris nostrique Lycei
Stamina crudeles dissolüere Deæ.
Aonides Divæ, si fas lugere Deabus,
Si lacrymis vestras fas maduisse genas,
Myliadæ vestro lacrymas date. pulla dolori
Conveniens circum pectora vestis eat.
Aonides, tutela chori certissima vestri, (abit,
Crimine proh! fati nil miserantis,
My-

Myliades, nomē quo non illuſtrius unquam,
Nec quoque nunc tellus Itala majus habet.
Quamlibet oſtentet Medicææ lumina gentis,
Et tumidos fluctus altior Arnus agat.
Magna per immenſum diffundat nomina mundum
Adria Molinos Medoacuſque pater.
At tu, qui Batavos inter notiſſimus amnes
Muſarum riguis mœnia tingis aquis,
Myliaden cunctis oppone Heroibus unum,
Rhene pater; majus hoc duce nomen habes,
Nec ſe Medoacus, nec ſe tibi conferat Arnus,
Euganeęque ingens Adria rector aquę,
Itala nec tellus ſe victam hac parte negabit,
Nec tibi jam vates conferat illa ſuos.

HADRIANI vander VVALL,
Delpho-Batavi
VENUS LUGENS.
Elegia.


Uctisono vatum cœtu stipata suorum
Ibat, defuncto justa ferens Mylio,
Quæ vaga cum toto, Cytherea, migrans comitatu,
Deciduas frondes liquerat Idalii;
Dilectâque volens Cypro caruiße, Cnidoque,
Æquoribus patriis exul, apud Geticum
Venerat in Batavos hibernatura maritum:
Durus qui nusquam mollius excipitur.
Ipse deam vidi: Phrygia non sicut in Ida
Vidit Amyclæi proditor hospitii.
Sidereum pulla vesti caput obnubebat.
Uberiorque genas lacruma turgidulas
Sulcabat: quarum, veluti tornata cadebat,
Quælibet in gelido est unio facta sinu.
Taliter assuevit risumque exuta jocumque
Erratum fines ire per Assyrios,
Utque suum proprio ritu deploret Adonim,

Tri-

Tristis odoriferi sistitur ad Libani
Mærentes cedros: nostris quo tempore terris
Diffugiunt volucrum examina Daulıadum.
Atrox innocuum plangebat dextera pectus,
Quique cutem roseam læserat unguis erat.
Parcite, clamavi, dextra, & crudelior unguis;
Vosque vel insanus verbera dedoceat
Marspiter: innumera quamvis à cæde reversus,
Hîc tamen immites non habet ille manus.
Parcite, clamavi. clamavi, parcite, frustra.
Non exauditi disperiere soni.
Lamenta hoc faciunt maturo expressa dolori,
Diva quibus tractus occupat aërios.
Et quotiens altis singultibus intercepta
Lamenta in summo gutture deficiunt,
Lamentis dominæ queruli auxiliantur olores;
Turtureive negant inducias gemitus.
Quinetiam in socios commoverat omnia luctus:
Moverat, aut certè visa movere fuit.
Flebilibus guttis nam forte pependerat æther:
Dissolüit guttis æthera flebilibus.
Intermissa diu renovant suspiria venti,
Quotquot erant Austri, quotquot erant Zephyri.
Et quota serotini custos stetit arbor honoris,

Abjecit tremulis omne decus foliis.
Præcipuè vatum gens externata piorum
Questibus, in speciem Mænadis Ogygiæ,
Emota indulget menti. trahit Heinsius agmen:
Vix trepidis voci concinit articulis
Heinsius, (invidiâ dicam frendente) Lycei
Primus honor Batavi, tristia non aliter
Scaligeri Dousæque ad funera conclamavit:
Cum genitor Rhenus Threïcios numeros
Insonuisse putans, admiratricibus undis
Mœstus vicinis staret in aggeribus.
Suscipit hinc alter; cui se debere fatetur
Grata novam lucem purpura Richelii,
Auriaci fuerant sola illi cura triumphi,
At Cytherea suis vatibus inseruit,
Describi teneris postquam formosa Poëtæ
*Cepit amatoris Thessela * carminibus (cantus*
Thessela quam Batavo fundentem in littore
Sæpe omnis Phorci exercitus obstupuit.
Sæpe cui attoniti posuerunt murmura fluctus,
Raucaque Tritonis buccina conticuit.
Noluit & Batavæ Tempes cantator abesse:
Unica

* Eorum aliquot vidimus apud elegantissimam fœminarum, de editione spes nobis facta adhuc fefellit. matura, o vates, & tuis cothurnis suffulta Thessela, sublimi feriat sidera vertice.

Unica nostratis gloria Pieridis.
Ille repercussa graviter testudine flevit:
Qualis ad extremæ fleverat † *Albionis*
Cretosas rupes; Græcique Amphionis ante
Amplius extremæ molliit Albionis
Cretosas rupes: quâ tempestate jubenti
Oceanus famulis paruit æquoribus,
Ille regens vocum septem discrimina docto
Pollice, fleturas pertrahere huc nemoris
Non-nemoris tilias potuit. modulisne, Foreesti,
Illius excitum te quoque crediderim?
Inde pari lesso facunda resolvitur ora
Zuerius eloquio maximus: & lateri
Heinsiades fido perturbatissimus hæret.
Heinsiades spirans patris imago sui.
Quem juxta sparsis ululabat Lisa capillis.
Ah! nimis (ah!) justo Lisa dolore furens,
Impia crudeli fecit convicia cœlo.
Sicne Myli, dixit, sicne Myli raperis
Ante diem? quamvis gravibus jam debilis annis.
Dii! male Parcarum fusa trium pereant.
Heinsiades nostros Mylio inscripsisset amores;
In-

† vide, vide qui Musas amas, nobilissimi viri vernaculum carmen *den uytlandigen herder*, ad incomparabilem Heinsium.

Innocuo quantas delicias senis!
Tunc ego, per populos Famæ subvecta quadrigis,
Cynthia te poteram, te poteram Nemesis,
Te (neque qui præsens præco tuus ipse negabit)
Rossa meis poteram laudibus antegredi.
Vindicis orba sui tutamine, nominis (eheu!)
Cura mei Heinsiadæ diffluit ex anima.
Ergone damnabor tenebris? & sordida tandem
Oscula mî blattæ, mî tulerint tineæ?
O! prohibe regina Paphi: si dixerat, & vox
Languida perpetuis fletibus immoritur.
Interea lentis hæc ad lugubria chordis
Flexerat Haganas Kinschotius Dryades.
Kinschotii [‡ quare Mars novit) verba Dione
Quinta parte sui nectaris imbuerat.
Vt vero atrata accessit cum funere pompa,
Exanimi similis concidit Idalie.
Vixque reluctantes iterum patefecit ocellos,
Quamquam aversa, novis immaduit lacrumis.

‡ Tenerrimis versibus, viderunt amici, nuper utrumque numen demeruit.

Tum

Tum demum laniatque genas, flavasque comarum
Aurato spoliat vertice divitias.
Nec gremio parcit. furiati ex ordine vates
Omnes inversis collachrymant citharis.
Squallidus exemplum pater ipse præibat Apollo
Tale; triumphali Daphnide qui vidua
Tempora ferali circumcinctus Cyparisso, (dum,
Plorantum hîc aderat Dux Heliconia-
Vt Phaëtontæas illum duxisse sorores
Flammata Hadriaci ripa scit Eridani. (tas
Omnes compositas, pretiosa volumina, char-
Exstructo portant inferias tumulo.
Tergeminæ, quæ tunc optarunt vestibus uti,
Inferiis Charites se voluere tegi. (euntis
Namque ubi turba frequens vallabat præter-
Exequias, Dominæ Cyprigenæ comites
Inspicienda darent oculis sua membra profanis?
Sicut Acidaliis nuda lavantur aquis?
Dii melius. sacris tantum spectare Poëtis
Hæc, pro continuo dat Venus officio.
Nunc iterum in socios conjurent omnia luctus,
Omnia per gemitus, omnia per lacrumas,
Omnia tabifico dissolvantur cruciatu.
Prô rabiem fatorum illachrymabilium!

Inferias Mylio, Charitum velamina, chartas
Quæ capiet, Charites contumulabit humus.

DE EPICEDIIS

Illustrium Virorum, JOANNIS FORESTI, *Supremæ Curiæ Assessoris, &* CONSTANTINI HUGENII, *Zuylichemiæ Domini, & Celsiss. Arausionensi Principi à Consiliis & Secretis.*

Ad

CONSTANTINUM HUGENIUM.

DUm vocat exstincti lachrymosa ad funera Mylî
Leida Forestiadas Hugenidasq; Deas;
Facundam solis, memoras, singultibus Hagam, (loqui.
Quam pudet in tanto funere posse
Ut tamen agnovit tua perculsique Foresti (serta suas,
Usque adeo in lachrymas verba di-
Haga, ait, (& CatsI notos simul invocat ignes)
Debuit in tanto funere sola loqui.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

INAUGURALIS,

DICTA

IN

Illuſtri Batavorum Academia,

CUM,

Ex auctoritate publica,

HISTORIAR. PROFESSIONEM

aggrederetur.

ORATIO IX.

QVI ſæpius ex hoc loco verba feci, Auditores, nunquam alias commotum me magis & perculſum intelligo. Non jam tanquam rudis & expers dicendi, quanquam facundiæ nihil mihi tribuam,

buam, aut quod benivolentiæ vestræ, cujus jam pridem cognita mihi eaque amplissima sunt exempla, diffidam; sed quod & mediocritatem ingenii mei ipse agnoscam, & vastissimi, ad quod accingor, operis difficultatem. Accedunt quoque incomparabilis tot maximorum clarissimorumque hominum eruditio, ingenium, ac industria; quibus, etiam facillima aggressis, difficillimum est succedere. Ingredi tamen nunc ego demandatam auctoritate publica stationem audeo; non alia profecto quam voluntatis de vobis, Iuvenes ornatissimi, vestrorumque desideriis, bene merendi fiducia.

De Historia vero omni, multoque ac sapientibus laudatissimo rerum ante gestarum usu, toties occupato ab aliis, & exhausto jam argumento nihil hic dicã. Neq; sane dicendum est, quod nemo vestrûm, eorũ certè nemo, quorum de recte instituendis studiis vestris gravissimas quoidie auditis rationes, ignorat. Id mobis nũc

ego

prædixerim; quod, cum sepultæ & quasi deperditæ aliæ omnes artes ac disciplinæ, sequentium ingeniorum industria ac sapientia semper reddi vobis posterisque possint ac repræsentari, amissa semel rerum jam gestarum memoria nullius ingenio, solertia, aut alia humana ope, queat redonari. Quare & in maximo, apud me certe, pretio semper sunt illa illustrium omnis ævi hominum, quotquot supersunt, monumenta, quæ rerum præteritarum origines, ordinem, ac eventa multum diversa, quæ optima ac incorrupta est fide explicata, & tradita posteris, ac præcipua gentium omnium antiquitatisque omnis, quibuscunque profutura & necessaria sæculis ac gentibus, exempla cōplectuntur. Multa sane pro instituto magnaque sese hic exhibent dicenda; at circumeunti mihi omnia, &, imprimis vestra ac vestrorum vota honestissima ac destinationes, inspicienti, ex vobis, Egregii juvenes, potissimum amplissimumq; mihi nunc offer-

offertur argumentum. Equidem, si eos tantum ego hic videam, quibus animarum cura, onus gravissimum sanctissimumque, demandanda est, ad hos inprimis imperatas mihi nunc curas attinere sentio. Cum enim, ipso immortalis Dei judicio, inter prima & antiquissima tradita etiam nobis sint rerum, inter recentissima earum exordia gestarum, monumenta, ut ex iis augusta, & major humana omni, providentiæ ejus ac curæ magnitudo agnosceretur: cum tot doctores gentium, tot sanctissimos viros, & eorum facta, quorum incomparabili industria, labore ac fide, Christianorum hoc regnum longe lateque & feliciter olim exporrectum est; tot pro eâdem fide, inter hostes ejus prope infinitos, martyria; atrocissimas contra eam professos persecutiones; tot pro eâ ubique terrarum celebrata concilia, & auctoritates; tot passim hæreses, tot fraudes hæreticorum & machinas, ac optima iis & prudentissima opposita consilia (quæ & nos

nos quoque tradituri ſumus) mecum cogito, dubitare profecto me non ſinitis vos, quos rectores aliquando ſuos Eccleſiæ habituræ ſunt, quin hoc maxime tempore, quo Chriſtianis paſſim redeunt eædem aut imminent graviores aliæque forte tempeſtates, rebus iſtis omnibus cognoſcendis ſerio vobis incumbendum eſſe ipſi judicetis.

Vos quoque ego cum video, qui patriæ & curandis hominum in ea rebus eſtis devoti; cum majorum veſtrorum poſterorumque, omniſque adeo Reipublicæ, ſummam de vobis exſpectationem; ſtatim offertur animo, quæ non aliunde haberi poteſt quam ex nationum omnium omniſque ævi Annalium monumentis, tota illa juris gentium, quod omnes paſſim populos in una velut communi quadam omnium ubique hominum Republ. conſtituit, iiſdemque ſubjicit legibus, vaſtiſſima & longe pulcherrima amplitudo. Quid, quod cum in Repub. non incidant de tigno tantum aut ſtillicidio lites,

lites, ſed identidem etiam, & hercle graviſſimæ de imperio, bello, pace, fœderum religione, aliiſque, in quibus ſalus gentium & opes verſantur, de his quidem nihil rite recteve, nihil ſancte, ſtatuatur, niſi totius, ut ſic dixerim, humani generis judicia, exempla, conſenſus, quæ ſola Annalium memoria fides conſervat atque ampliſſima exhibet, ſerio & cum cura inſpiciantur? In quibus ſane quot ac quoties concurrunt ac conſpirant facta egregia aut exempla, totidem ſunt veluti leges, & judicatarum ab omni ævo rerum habent auctoritatem. Quippe quemadmodum nulla uſquam gentium lata lex eſt, quæ non prius ex ſingulari negotio, atq; è re nata & tranſacta originem atque occaſionem duxerit; ita illæ gentium, Edicta velut omnium & Senatus-conſulta, ex Annalium tantum gremio ac ſinu hauriuntur. Quid (& hoc profecto ad omnes attinet) quod in ſolis illis præcipua humanæ omnis providentię præcepta inve-

veniantur? Nam quid, quæso vos, aliud omnia aliorũ exempla nobis sunt, quam præcepta? Quid aliud quam specula, in quibus nos & nostra, nec præte te tantum ac præsentia; sed &, quod prope divinum est, eventuræ etiam intuemur? Auspices enim quasi quidam nobis auguresque, neq; vani certe aut obscuri, ut isti olim inter gentes, mihi quidem esse videntur, qui ante gestarum tot rerum momenta ac ordinem posteritati omni tradidere. Quippe cũ nihil providenter aggrediantur homines, nisi in futura introspexerint; & agnosci aut æstimari satis futura nisi ex præteritis non possint, haud dubie ad jam facta circumferendi nobis sunt oculi, in quibus obvia humanorum casuum, consiliorum, eventorumque similitudo passim offertur. Tot enim majores illi in exemplum nobis vixere, quemadmodum & nos futuris; quorum bona malaq; eligit semper judicii rectitudo aut declinat. Ex quo enim ingenia hominum ad fœdam hanc,

&

& prope omnium ac pene indomabilem, sive infirmitatem, sive inscitiam, damnata sunt, ut nunquam satis sua circumspiciant, & plerumque adulentur ac sic insidias struant sibi, necessario recurrendum est ad egregia omnia aut præcepta aut exempla: quorum illa quid fieri debeat, hæc etiam quid fieri possit, quia quod factum est, ostendunt; illa, ut in Repub. leges, invitos etiam & colentes trahunt accogunt, hæc autem comiter & blande quæ agenda nobis, quæ ex adverso fugienda sint, persuadent. Neque quidquam facilius est, quam consulere ea & adire. Publica enim, sive omnium, atque adeo singulorum sunt: à quorum tot oraculis & responsis neminem vel momenta ulla, vel ullius indignatio aut fastidium, quæcunque tandem ejus fortunæ ac res sint, arcent aut excludunt. Addite enim, quod, cum vix obvia sit principum comitas, vix prompti ad eos aditus, & difficillimæ admissiones, quæ nunc pene omnium superbia aularum

rum est, cujus caussa janitores etiam, & sæpe frustra, coluntur, soli Annales facilem & regiam, ac cuivis, & ad quidvis, viam sternant; quo fit, ut ad ipsa sacraria, ad interiores deliberationum consiliorumque recessus, ipsaque adeo arcana imperii ac domus, sine fastidio, sine ulla animi querela, sine periculo ullo aut discrimine, cui plerumque obnoxii sunt asseclæ aularum, & quoties, ac quomodo lubet, privatorum quisq; admittatur. Abeant nunc, & res suas habeant sibi, qui interioris apud rerum principes admissionis, ac in palatiis adsidui, sed trepidi semper aut nutantes ac incerti, nil nisi molestissimum illum splendorem suum possunt jactare. Nobis, in omnis ævi res maximas, consilia & destinationes vobiscum deinceps ingressuris, non modo Xerxes & Alexandri & Augusti, sed & pestes illæ suorum temporum ac terrores, Pharaones Neronesque, & alii, quorum ingratissima est memoria, sed intrepidis, ac impavidis, & plane in-

noxii, offerentur. Neque, hercle, innoxii tantum, sed & profuturi; quia illos vita, imperio, exitu fœdos ac infames, cum omni illo flagitiorum & scelerum ministerio ac comitatu, serio inspecturis vobis non possunt non injici probarique honestissimæ, & semper laudandæ posteris, destinationes. Multum enim ego rerum humanarum posterorumque omnium interfuisse sentio, ut, haud aliter quam optima & sanctissima; mala etiam & detestanda omnibus exempla proderentur; cum ita fiat, ut tyranni principes, qui, occulta, sed æquissima semper, immortalis Dei dispensatione, fastigio rerum impositi, mala libidine & Dei, & naturæ & hominum evertunt leges, ac tantum puniunt innocentes, nullo metu pœnæ aut sensu: (nisi per abditos forte torquentis sese tortique animi laniatus, & illas tanto majores, quanto occultiores esse coguntur, diras devotionesque subjectorũ) gravissimo & semper duraturo supplicio

cio afficiantur. Quorum exempla circumire tanto magis, præsertim rerum principibus, necesse est, quanto magis malæ libidini obnoxiæ sunt dominationes. Neque sane corrigendis ac purgandis animis, aut in officio continendis, ne exorbitent, minus necessaria sunt repetita in Annalibus atque damnata, & identidem promenda posthac nobis, mala exempla, quam in Repub. illæ leges, in quibus cum flagitiis pœnæ etiã conjunguntur. Neque vos hic terreant tradendæ nunc mihi, ac cognoscendæ vobis, tam illustris rei magnitudo; tot seculorum, tot passim rerum ambitus; tot Reges Principesque; tot excidia, tot migrationes gentium & mutationes, quæ prope infinita, & quibusvis temporibus alia atque alia, offeruntur. Quid enim, rogo vos, jucundius, & gravi rectoque de hominũ rebus judicio magis necessarium, illa tam vastâ, tam profutura vobis, tot rerum varietate? quam interesse temporibus, quibus non vixistis, ut ve-

ſtris, ſuæ quiſque domi, tanto promtius conſulatis; quam nunc caſtra cum principibus rerum ingredi, nunc Senatum; conſulere cum iis, deliberare de Repub. ac decernere: diſtribuere identidem præmia & pœnas; auguſto alicui operi ſemper intendi; deniq;, quod nulla aliorum, qui hęc negligunt forte aut contemnunt, impetrare ambitio poteſt, excipere regum principumque, & gentium adeo omnium, ſplendidiſſimas ad vos legationes? Quippe qui rerum ante geſtarum memoriam, quibus & ipſi Cæſares ſunt permixti, pari & cura & fide tradidere, non niſi totidem ampliſſimarum gentium, maximorumque principum legati ad poſteros & oratores mihi quidem eſſe videntur. Quare & ad eorum monumenta, tanquam ad ſolium & purpuram, venerabundus ſemper ego accedo. Vobis, lectiſſima & nobiliſſima utriuſque Germaniæ juventus, qui, juxta cum aliis, tam pacati & frequentes me ſive ducem veſtrum, ſive com-

commilitonem, laboris certe & curæ socium, neque tantum publica, sed etiam privatâ animi destinatione devotum debentemque vobis, circumsedistis, tanto pulchrius & jucundius erit vastissimum illum terrarum orbem, & tot in eo populos non per Europam modo hanc nostram, sed & Asiam, & Africam, & ipsum Indorum Gangem circumire, quanto passim plura majorũ vestrorum, quæ & vestra sunt, certe ingentia decora, & vastissima ac splendidissima imperia, Françorum in Gallia, Saxonum in Britannia, Longobardorum in Italia, Gothorum Alanorumq; in Hispania, VVandalorum in Africa, Galatarum olim aut Celtarum, nunc Tatarorum in Asia, Temurorũ, quos ex Scythia eduxit terror ille gentium ac belli fulmẽ Tamerlanes, & magni Mogolis sceptra jam moderantur, nostrarum, aut cognatarum nobis, gentium imperia; domitæ ac insessæ ab iis, & territæ prope omnes terrarum oræ; (ut de amplissimo vetustissimoque Per-

sarum regno, & Arsace, & omni Arsacidarum, quæ vestra etiam sunt nomina, solio nihil nunc dicam) nobis offeruntur. Iactent magnitudinem rerum suarum Græcia & Roma, illæ quidem ingentibus factis inclytæ, sed superbæ & mendaces, quantum, & quandiu lubet; arctius ab iis, quam Germaniæ aut Europæ nostræ Septentrione, vagina illa, ut iste loquitur, gentium & officina nationum, neque tantâ rerum constantia, imperatum est. Quorum ego temporum quoties recordor (recordor autem sæpissime) toties horum nunc pudet pigetq; quibus invictæ olim, & longe lateque victricis, & sub quovis sole habitantis gentis studia ita per civiles & tot jam annorum fœdas omnibusque sæculis detestandas factiones corrupta, & divulsa ac discerpta sunt, ut priscæ illius majestatis ac gloriæ nihil pene nunc reliquum, præter solam ejus memoriam, habeamus. Quare & nunc quoq; sanctissimis mihi juvanda est votis; ut illa tot

tot quondam nobilissimarum gentium domina ex cineribus suis, ex pedore & situ ac busto, ad majorum suorum magnitudinem ac gloriam feliciter posthac assurgat, futura documento, non se alibi quam domi, & per civilium bellorum totiusque prope jam sæculi atrocissimas tempestates, atteri atque exui, à majorum illâ incomparabili & virtute & fortuna destitutam, potuisse? In quo quidem ego si forte quibusdam instituti ordinem egressus videar, facile me erroris damnari patiar, sed qui summę in florentissimam olim gentem, & semper mansuræ mihi pietatis habet significationem. Ego vero, non publico hoc tantum de me, sed & meo etiam judicio admodum excitatus, eadem in vos constantia ac fide, qua per viginti jam prope annorum hæc stipendia, commodis vestris ita deinceps inserviam, ut nihil pronæ in vos prolixæque voluntatis defuisse mihi intelligatis. Equidem, quoties cogito, & cum animo meo serio ac graviter

expendo, quanta patriæ de vobis ſit exſpectatio, & quantum ei debeatis vos ipſi; quid à vobis etiam exigant laudatiſſima majorum tot exempla; quid hæc, in quæ incidimus, quæ omnium difficillima ſunt, tempora, quibus inter pacis pariter ac belli artes, tanquam intuta omnia ſint, tantis vel inſidiis quæ in obſcuro fere ſunt & difficulter evitantur, vel varietate deſtinationum nunc ambigitur; quam nunc maxime, in tanta hominum ac morum corruptela, & fatali hac temporum labe, humanis diviniſque rebus omnibus turbatis, neceſſaria ſint optima meliorum, ſive felicia illa, ſive infelicia, exempla; quid quantumq; poſteris veſtris nepotibuſque, majorum factis non modo ſerio inſpectis ac excuſſis, ſed imitatione etiam, quod potiſſimum eſt, expreſſis, à vobis debeatur; quid denique ipſi omnium auctori & imperatori Deo, cujus ſanctiſſimæ, & inacceſſæ omnibus, providentiæ conſilia ac opera ſunt tot rerum humanarum

rum omnium casus, vicissitudines ac varietates; magnæ mihi ego pro vobis curæ & diligentiæ impono necessitatem. Neque tamen magna sunt, quæ promittere vobis ego possum, aut, quod amplius est, præstare, qui mei tenuitatem ingenii non ignoro; sed industria & cura ita ego vobiscum contendam, ut nihil voluntatis in vos meæ, nihil pro vobis sollicitudinis in conquirendis undique diligenter tradendisque, quæ in ipso rerum usu profutura sunt, in hac statione defuisse mihi intelligatis. Neque in illa tot rerum, tot casuum, tot hominum prope infinita varietate per privata, quanquam laudatissima, vos circumducam exempla, quæ sæpe voluptatis plus habent & subinde admirationis, quam utilitatis; sed, quod inprimis necesse & ipsa Historiæ anima est, rerum maximarum præcipua momenta; per illos tot plerisque ignotas, aut oscitanter neglectas vias & gradus, quibus ad hanc rerum humanarum faciem, à ve-

tustissima illa longe diversissimam, tandem deventum est. Nam quemadmodum qui calculos ponunt, non tam illorum, quam ejus quod ex illis conficitur potissimam habent rationem, ita indaganti res gentium ac tradenti iis potissimum, & serio ac diligenter, inhærendum est, ex quibus, instituta nostrorum cum vetustis illis temporum comparatione, migrationum mutationumque adeo omnium, quæ multiplices & plerisque, plerarumque saltem & nobilissimarum passim gentium, hactenus non observatæ sunt, veræ caussæ, origines, atque incrementa, etiam occasus, statim possint agnosci. Utinam vero, utinam tradita posteris essent durassentque, vel omnium, quæ ubique gestæ sunt, rerum memoria, vel condita saltem monumenta! Quorum alterum vetustissimorum hominum, qui res præclarissimas gerere, quam describere maluerunt, simplicitas nobis negavit; alterum injuria temporum intercepit. Origines certe

omnium

omnium passim, etiam nobilissimarum, gentium quam obscuræ? quam in mendacium fœde corruptæ? Quod nescire non possunt, qui modo, ut de aliis nunc non dicam, vel unius Germaniæ nostræ Annales inspexere; in quorum, sed sero scriptorum, exordiis non nisi Dii, aut Semidei, quemadmodum & apud Græcos ac Romanos, leguntur. Nempe majores & nostri, & aliarum quoque nationum, (plerisq; enim omnibus id evenit) tradere posteris curæ virtutisque suæ alia omnia egregia monumenta, quam operose describi maluere. Solum quippe Annalium genus composita in memoriam eximiæ virtutis carmina; quæ & saxis, sive Runis, ut vocabant ipsi, inscripta brevi elogio legebantur. Et Græci ac Romani, ut maximus auctorum, ubi de excessu Arminii, invicti quondam Germanorum ducis, magnifice loquitur, sua tantum admirabantur. Cæterum & eadem injuria alias quoque, nec non nobilissimas, affli-

xit nationes. Quod majus aut celebrius olim illo Ægyptiorum regno? quod & populum Dei captivum aliquando habuit, & gravissimæ domus fuit servitutis. Ejus gentis imperium per Asiam olim omnem, & magnam Europæ partem exporrectum pene ignoratur. At tamen, quod in stuporem admirationis defixus apud gravissimum Historicorum omnium lego, constat Germanicum, imperante apud Romanos Tiberio, vidisse veterum Thebarum magna vestigia; & mansisse structis molibus litteras Ægyptias, priorem opulentiam complexas; jussumque è senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari. Referebat habitasse quondam septingenta millia ætate militari; atque eo cum exercitu Regem Rhamsen Lybia, Æthiopia, Medisque & Persis, & Bactriano ac Scythia potitum; quasque terras Syri, Armeniique & contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare, imperio tenuisse. Legebantur & in-

indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorumque, & dona templis ebur atque odores, quasque copias frumenti, & omnium utensilium quæque natio penderet, haud minus magnifica, ut idem auctor judicat, quam tunc vi Parthorum, aut Romana potentia jubebantur. Qui hactenus, ut plerique, solas quatuor monarchias, Assyriorum illas & Persarum, & Græcorum sive Macedonum, atque Romanorum commenti, intra futilis & pædagogicæ sive observationis, sive meditationis aut, quod potius credendum est, imitationis terminos ac angustias summæ rei amplitudinem continuere, quod inobservatum admirentur in Ægyptiis invenient. Quod ego quidem veritatis, sed longe lateque hic diffusæ, studiosus, tanto ægrius fero quanto pluris hactenus fiunt illi, à quibus obvia tantum, & repetita sæpius, & ignorata nemini plerumque offerun-

runtur. Neque tantum veteris illius Historiæ, sed & recentioris ingentem profecto & incomparabilem jacturam passi sumus, sive pulcherrimæ & necessariæ adeo rei, quod excusaverit nemo, contemptu; sive illustrium ingeniorum defectu; sive denique tradita ab iis gestarum rerum monumenta temporum injuria, aut hominum socordia, sint intercepta. Quoties ego illud longi temporis spatium cogito (cogito autem sæpissime) quod inter sextum æræ Christianæ sæculum & decimum intercedit, omni propemodum rerum tunc gestarum memoria viduatum, aut solis fabulis corruptum, totum illud pene periisse nobis intelligo. Quæ jactura tanto major est, Auditores, quia illa hæc sunt tempora, quibus jacta constat plerorumque regnorum ac Rerumpub. quæ per Europam nunc omnem præcipua & florentissima celebrantur, prima quasi fundamenta. Neque tamen animum ego hic despondeo;

deo, facturus quod illi solent, qui ex modico & partim collecto ære tandem ingentem summam conficiunt. Et ex reliquiis gestarum rerum passim sparsis, conjunctisque & excussis diligenter, non nihil vobis lucis in tam densa eorum temporum caligine audeo polliceri. In quam ego curam tanto alacrior incumbam, quia vestra maxime interest non minus nostrarum vobis rerum, quam Romanarum Græcarumque memoriam repræsentari. Utinam quoque (nam & plura sunt quæ desidero) Asiæ ac Orientis rerum tot, post Romani imperii occasum, mutationes propius cognoscerentur? Qua de re cogitanti nunc mihi, tu potissimum hic te offers, Iacobe Goli; cum quo habitos toties privatos ea de re sermones, publicos nunc, sed pace tua, facio. quem totius Orientis non linguarum modo, sed & rerum ingressum possessionem, ac opibus ejus omnibus, quæ huc faciunt, instructum, ex publici

lici desiderii lege, ut eidem, cui jam pridem favet, satisfaciat etiam, quantis possum precibus jam rogo.

Vobis autem, nobilissimi Academiæ Curatores, & hujus urbis Consules amplissimi, quos nunquam absentes ab his sedibus cura pro iis ac fides esse sinit, pro illius vestri de me judicii benificio, quo hoc mihi onus imponendum nuper admodum decrevistis, gratias immortales habeo. Onus enim vestrum hoc de me judicium, quod eximium habeo, nunc appellandum est. Neque hercle, id ingrati, neque inertis aut ignavi animi, sed laboris, sed curæ, sed industriæ & fidei, quam imperavi jam mihi auctoritati vestræ obsequutus, summam habet significationem. Ego imperiis vestris, ac, quę his majora sunt, votis ac desideriis ita inserviam, ut, quemadmodum hactenus, mihi potius, quam justissimæ exspectationi vestræ me defuisse agnoscatis. Neque, præter id, alia offerre nunc vobis possum aut promittere, quam duratura mecum sem-

ſemper, quæ ſanctiſſima ſunt, vota; ut gratiſſima Pacis hæc tempora, veſtrarum etiam virtutum, quæ non alias quam totius Reipub. ſalutem habent deſtinationes, immortali memoria, auctiſque rebus veſtris, ſint celebriora; Ut ad poſteros noſtros nepoteſque, ad ſocias & vicinas remotaſque etiam nationes non tranſeant niſi egregia & imitanda ac optanda omnibus virtutis veſtræ felicitatiſque & pacis hujus imperii, cujus vos quoque clavum tenetis, exempla; Ut denique, ſub auſpiciis illis veſtris, uberrimus ex his ſedibus ſit illuſtrium ingeniorum proventus, quæ ab omni humanarum divinarumque rerum cognitione inſtructa, & per omnium tracta ambitum ſæculorum, omniumque adeo caſuum varietatem, & veſtram domi & ſuorum foris pacem, qua nihil auguſtius offertur gentibus, tueri poſſint ac conſervare.

Vobis etiam, Profeſſores clariſſimi & Collegæ, plurimum debere me nunc in-

intelligo, qui tanta adtentione vestra ac pace differentem me ista audivistis. Quare neque mihi, qui hujus vestri judicii, quod gravissimum esse ego intelligo, ac consensus hanc publicam habeo significationem, multis nunc exorandi non estis, ut auctoritate vestrâ ac fide & consilio, in hac statione, quam industria & constantia omni implebo, gnaviter me juvetis. Id praecipuum curae ejus vestrae pretium erit, quod florentissimae hujus Academiae tot decora passim & ornamenta, quod ex his emissa sedibus patriae quisque suae, futura sint. In cujus gloriae communionem ego quoque, saltim industria & diligentiae laude, veniam; dum iisdem virtutibus, licet caetera longe inferior, continuo vobiscum & praeclarissimis exemplis vestris ego contendam. Inter quae tuum, DANIEL HEINSI, Vir nobilissime, (in clarissimo enim nomine tuo desinendũ est) inprimis nunc mihi, sed trepido, offertur. qui ex auctori-

ctoritate publica honestissimo otio nunc donatus, excellentissimis profecto, & quæ supra omnia præmia supraque omnes laudes sunt, meritis fecisti, ut mihi quidem difficillimum sit tibi succedere. Tibi, qui admodum adolescens, ac pene puer, sed jam supra viros, maximorumque tuæ ætatis hominum (inter quos inprimis nobilissima illa Scaligerorum & Casaubonorum, cum instar omnium sint, nomina hic mihi veniunt memoranda) non amor tantum, sed stupor, nec juventuti hic modo, sed orbi universo, omnibusque passim eruditis præluxisti; cujus sunt, cuique debent, & debere se etiam agnoscunt, quotquot, ut de aliis passim per Europam sparsis, qui cujusvis ordinis ac loci, sola tui nominis celebritate evocati, ad percipiendum ingenii cultum plurimi huc confluxere, nihil nunc dicam, hæc Respub. in eâ Ecclesiæ, curiæ, urbes habent, aut habuere nuper, decora ac ornamenta: qui editis gravissi-

vissimis pulcherrimisque, & duraturis semper, inque perpetua hominum admiratione futuris ingenii tui tot monumentis, in omni prope scientiarum genere nihil inausum, intentatum nihil, & non ingenio, judicio, eruditioni tuæ incomparabili devinctum reliquisti; fecistique adeo, ut non modo difficillimum mihi sit in hac statione tibi succedere, sed etiam, post consumpta in celebranda virtutum tuarum ac ingentium meritorum memoria, ac exhausta clarissima ætatis nostræ ingenia, te laudare. Pro qua illa tam vasta tot beneficiorum tuorum amplitudine, quæ non per hanc modo clarissimam, quod & tibi debet, Musarum sedem, sed per universum eruditum orbem longe lateque illustrissima jam pridem se diffundunt, quibus non superstites modo & post futuros devinxisti tibi, sed & antiquorum ingenia, quorum tot monumentis incredibili industria tua & eruditione incomparabili lucem ac vitam reddidisti;

disti; pro hac, inquam, tam vasta benificiorum tuorum multitudine, quasi publica & omnium voce gratias dico tibi ego atque habeo immortales. Quarum, cum neque suppetant mihi nunc alia, neque vero alia tua à me modestia exspectet, patere ut hæc, quæ sanctissima sunt, vota pro te nostra amplissimam in animo tuo habeant significationem. Deum autem immortalem supplex pro te posco; Ut longa tibi & vegeta senectus, nec fessa tamen unquam ætas, obtingat; Ut quam raram cœlo debes mentem, divinæ humanæque rei intelligentem tibi conservet; Ut, de quo vel ideo nunc non ambigendum est tibi, qui superstes jam pulcherrima frueris fama tui, & immortalibus ingenii monumentis æternitatem tibi temporum demeruisti, omnibus posthac sæculis, omnium pro celebritate nominis tui consensus conspiret; Ut, cum nihil ex te nasci possit mediocre, & in illustrium hominum stirpe frequentia

fere

fere fit, ut ille loquitur, electorum, sæpe ac tantus, & cum repetita toties meritorum tuorum magnitudine, in nepotibus tuis redeas, ficut in filio, juvene clariſſimo, in quo Gallia ac Italia agnovit te nuper admodum ac ſuſpexit, feliciter jam rediiſti.

TE autem, omnium regnator, æterne Deus, Deus Sebaoth, Deus exercituum & legionum; cujus bella, aliæque ubique nationum res ſunt, geruntur; in cujus manu ſunt corda regum, qui ea flectis ut torrentes aquarum; ad cujus claſſica, evehendis ad ſolium aut deturbandis gentibus, plerumque etiam venti veniunt & tempeſtates & alia, quæ nullo hominum ſtipendio conducuntur nullo etiam avertuntur; qui cum imperas Orienti ut in Occidentem, & Occidenti ut in Orientem ſe effundant,

mox

mox accincti se effundunt; omnesque adeo pro arcanâ, sed æquissima, dispensatione tua spargis, misces ac confundis & committis nationes; cujus æternum, & in omnes etiam reges, & justissimum semper est regnum: qui pro inperscrutabili altitudine tuorum, quæ attoniti omnes & venerabũdi suspicimus, consiliorũ, sceptra distribuis gentibus, & tamen tuã unius omnium regnatoris gloriam nemini concedis; cujus manuum opera sunt & cœli & mari a, & terræ, & qui regunt & qui reguntur; supplex nunc ego, & ad augustissimum illud solium tuum prostratus, posco ac rogo, ut, cum nihil providenter homines sine Dei immortalis ope, honore, atq; consilio auspicentur, meo, & trepidi nunc ac in stuporem admirationis rapti, sed tamen quæ prope infinita sunt cœlestissime.

mæ Majeſtatis ac providentiæ tuæ ſpatia tam vaſta circumituri addas ingenio acumen, memoriæ robur, judicio autem gravitatem. Res tuæ, caſtra tua ſunt, Domine, & expeditiones, & conſilia, quæ dicemus. Patere, ut ſanctiſſimi Regum verbis hic te conveniam, Domine. Exaltabo te, Deus meus, Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculu m ſæculi. Magnus es, Domine, & laudabilis valde, & magnitudinis tuæ non eſt inveſtigatio. Generatio generationis laudabit opera tua, & potentiam annunciabunt. Magnificentiam gloriæ laudis tuæ, & verba mirabiliũ tuorum narrabo. Et virtutem terribilium tuorum dicam, & magnitudinem tuam narrabo. Memoriam bonitatis tuæ ediſſeram,

& in justitia tua exultabo. Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram, & multum misericors. Bonus Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi, gloriam regni tui dicant, & potentiam tuam loquantur; ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.


MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

INAVGVRALIS
DE
MAIESTATE ELOQVENTIÆ
ROMANÆ.

Habita in Academia Batavorum, cum Collegij Oratorii publici Præses creatus Orationum ex Historicis collectarum interpretationem aggrederetur.

ORATIO. X.



NNI jam ſexaginta ſunt, Auditores, cum poſt vexatam aliquamdiu domeſticis calamitatibus hanc Rempubl. & non revocatam tantum, ſed ſtabilitam libertatem, de fovendis diſciplinarum omnium

nium, & literarum ſtudiis feliciter hic cœptum eſt cogitari. Factum id ex auctoritate Patriæ Patrum, qui raro prudentiæ exemplo temporum calamitatem in bonum ſuum & gloriam convertêre. Intererat hujus imperii, ut effectis quæ noſtra, & inſidiis hoſtium triumfatis, terrarum orbis etiam felicitati noſtræ deberet. Et debet ſane tot magnis & excitatis mentibus, quæ ex hoc loco, tanquam edita quadam turri, lucem tenebris & ignorantiæ ſæculi affudere. Sic factum eſt, ut ex remotiſſimis quibuſque Europæ oris ad hoc bonæ mentis forum magnus ſemper fuerit juventutis undique confluxus. Nec pænituit mercatus quemquam, niſi deſidem & ignavum. At vero nuper admodum gloriæ huic frequentiæque magnus Deus ultimum diem videbatur meditari. Quippe, ut adverſa ex ſecundis naſcuntur, graſſantis peſtilentiæ tabes tantũ effecerat, ut Palladis noſtræ quoddam quaſi juſtitium, ut vacua hæc ſubſellia, paullo ante confertiſſima, videremus.

mus. At tandem cælesti benignitate factum est, ut elapsi anni solitudinem hæc exoptata quidem, sed quam exspectaverat nemo, frequentia vestra recrearet. Renati sunt Academiæ nostræ soles, & ipsam voti fiduciam supergressi sumus. Itaque vobis omnibus exoptatissimum hunc adventum vestrum gratulamur. Vobis, Illustrissimi Principes, qui quemadmodum prima florentis Academiæ ornamenta fuistis, ita laboranti ac prope desertæ decus & exemplum addidistis. Nostrum erit agnoscere illustre meritum, ac quæcunque exspectare potestis gloriæ vestræ & æternitati apprecari. Vobis, Amplissimi hujus Urbis Proceres, tot adhuc civium reliquias servatas; vobis, Clarissimi Academiæ patres, splendorem ejus & incrementum; vobis, nobilissimi ornatissimique Iuvenes, adventum vestrum iterum gratulamur. Qui Vejos, ut ita dicam, abieratis, Romam reversi estis, Quirites. Parum abest, quin ita vos compellem, ut olim Furius Camillus Popu-

pulum Romanum; Hiclocum auspicato inauguratoque habemus conditum, hic Vestæ ignes, hic imperii pignus, quod passim videtis, Palladis simulachrum. Nec sufficerit hunc confluxum vestrum vobis nobisq; gratulari, nisi sit quod & studiis vestris & exspectationi possit respondere. Non hic vobis desunt illi, quorum curæ commissum est, ne quid Academia, ne quid studia vestra accipiant detrimenti. Non illi, quorum verba quotidie hauritis, & vultus præsentes hic spectatis. Nec ego vobis deero, si deesse vobis possit, qui forsan parum prodest. Nemo certe mea bene de vobis merendi vota & desideria superabit. Desit mihi, quod par est, ingenium, desint illa doctrinæ præsidia, quæ requiruntur, meus pro vobis vestrisque adeo commodis animus aut par omnibus est, aut major. Proinde & publica auctoritate, & bonarum amore litterarum, & præsentiâ vestra ac benevolentia excitatus, audeo vos hodie provocare ad

pulcherrimum certamen. quod si vobis persuaderi non poterit, non meæ erit, sed vestrę infelicitatis. Sin vero haud abnuetis, non tam laudanti mihi, quam vobis credentibus debebitis gratulari. Itaque iterum vos provoco ad pulcherrimum certamen: illud veræ & masculæ Eloquentiæ Romanæ, cujus nomen affectant plurimi, pauci gloriam assequuntur. Ad cujus robur & decus quidam artem conferunt, sed non naturam: quidam ab arte defecti, à natura non destituuntur. Natura tanquam principium artis est, ars tanquam consummatio naturæ. Nam quod natura suppeditat, ars amplectitur, & quod naturæ deest, sed à natura non deserta, facillime potest suppeditare. Quemadmodum solus hostem devincere non potest dux belli, nisi sit miles, qui bellum gerat; nec sufficit miles, nisi sit, qui militi præsit Imperator. Nemo itaque arti se credat, qui faventem naturam non habet; nemo naturæ, qui artem ignorat. A natura omnibus datum est

non

non tantum loqui, sed cum ratione. Nisi qui ex Trogloditarum forte gente sint, quos mutos natura edit; aut fatui, qui à ratione destituuntur. Nec tamen id sufficit, si quis bene loqui velit. Caja & Oppia sic loquuntur. Nemo loquutus est, nisi qui res dixit; nemo has dixit, nisi usus ratione; nemo ratione usus est, nisi qui eam rebus adæquavit. Quod nullus adsequi potest, nisi eâ arte instructus, quam in præsens commendamus. quam cum animo & Deo totum universum non constituere tantum, sed continere, magnus Plato existimabat. Cujus ego gravitati puerilem, quæ nunc est in multis, loquacitatem non annumero, plenam vanitatis & anilium prope deliramentorum. Multi enim, cum non caperent proprium excitatæ mentis, sublime illud dicendi genus, ad literarum notulas tantum, phrases & periodos se contulere. Non secus atque pueri, qui cum magnarum quarumvis rerum pretia nesciant, pictos littoris

riodos ſe contulere. Non ſecus atque pueri, qui cum magnarum quarumvis rerum pretia neſciant, pictos littoris calculos legunt, iiſque unice delectantur. Quid divinius, & proinde magis difficile, quam omnia noſſe, ut non neſciatur illud, quod in oratione non debet ignorari? Vnde naſcitur illa vis dicendi, quam perſuaſionem nominamus. Quid autem illa aliud, quam animum ſuum in alium transfundere, eumque gratiſſimâ omnium ſervitute ſibi mancipare? Ita & nos alijs ſervimus, & alij nobis. Nos alijs, dum noſtros facimus; alij nobis, dum noſtri fiunt. Nam illa demum perſuaſio eſt, cum fit idem & qui loquitur, & qui audit; vera conjunctio animorum. Quid autem non efficit illa inter eos qui audiunt & loquuntur? Inflammandi ſunt animi; in ignem accenduntur. Pungendi; in ſtimulos acuuntur. Hæc eſt illa maſcula & cordata Eloquentia; cujus vim & robur, majeſtatem appellamus. Quemadmodum enim Principes terra-

rum.

rum hoc nomine ante alios excellunt, & majores ſubditis ſunt, quibus ſine illo eſſent pares; ita qui illam cum iudicio orationi commodavit, in aliorum animos regnum tenet, & in affectus principatum. Tollit quidquid inſitum ſiniſtræ opinionis, & quidquid vult, facillime perſuadet. Quam dicendi virtutem petere debetis nõ ex hodie aut heri natis; non ex coætaneis Euandri matris, ſed ea temporum antiquitate, quâ, expulſis verborum ſalebris, emendata eſt ſtructura ſermonis Romani; quâ ſimul cum cæteris diſciplinis Eloquentia floruit; quâ tot præclara ingenia omnem dicendi vim exſeruere; qua condita tot illuſtria monumenta, quorum ut quędam iniquitas temporum intercepit, ita plurima in exemplum poſterorum duravere. Quod optimi ſæculi inſtar quemadmodum ſub Auguſto conſummatum, ita poſt optimum Principem Trajanum defecit. Cum ſicut virtutis, ita ingenij intermiſſo certamine, ſimul cum Vrbis

næ imperio disciplinæ cecidere ; cum denique pariter & sermonis & imperij majestas exuerentur. Ad priores illos eundum est, si & sapere & bene loqui vultis, Auditores. Ut de aliis nunc non dicam, inspicite modo qui tunc temporis conditi Annales. Aut in iis Eloquentia regnat, aut quid ea sit, penitus ignoro. Quomodo enim in iis se non exsereret, ubi in procinctu prælij stans miles non clypeo magis aut hasta, quam Imperatoris sui voce animatur? Ubi Dux belli primo suos, mox hostem vincit. Suos, dum suos facit; dum expellit, si quis intraverit, metum ; dum tollit si quæ exortæ seditiones; dum damnata inertiæ dulcedine ad laborem omnes indurat. Proinde si ad Historicorum etiam Orationes & Eloquentiam studium vestrum conferre volueritis, operæ pretium facturi estis. Nunquam me dati, nunquam vos accepti hujus consilij pœnitebit. Non quod scriptorum cæteros negligi velim, sed quod in his mascula illa ac nervosa vis dicendi vel imprimis dominetur.

Cri-

Criſpum Salluſtium quis neſcit? Quem non afficerent illa perditiſſimi Catilinæ verba, quibus ſuos adverſus Rempubl. concitavit? Si illo ſæculo vixiſſetis, Auditores, ſi in abdita ædium parte Catilinam verba ſua audiviſſetis tonantem, forte adegiſſet vos quoque ad ſcelus, & cum cæteris conjuraſſetis in Rempubl. Romanam. Non quod vobis pręceps ſit in flagitium animus, ſed verba ſcelus etiam nolenti & optimo cuique nonnunquam perſuadent. Vt non minus noxia eſt Eloquentia, cum ad res malas confertur. Quid dicam illud robur in dicendo Porcij Catõnis, quid verba & vim Marij, quid denique claram illam pollentemque Memmij facundiam? Nec minus Titi illius Patavini in fingenda oratione maſculum & ſublime eſt ingenium. Cui quemadmodum cunas & utramque Fortunam æternæ urbis, ita debemus facundiam Romanam. Quam pauca dixit Romulus pater, cum Iovi Statori ædem voveret, quam tamen movet omnia, concutit, percellit? Diceres

mutam faciem rerum; diceres non hominem, sed Deum loqui; diceres jam cælo in auxiliũ descendisse Iovem quem compellabat; diceres non fugisse milites Romanos, & pulsos Sabinos, qui urbis visceribus adhuc imminebant. Nec illa silentio operienda, quæ apud quendam Quintum Rufum loquuntur Alexander & Scytharum legati? Cornelius Tacitus, ut solus arcana & artes Principum altissimè indagavit, ita huic etiam gloriæ adeo industriam omnem ingenij impendit, ut non tantum priorum facundiam, sed posterorum omnium supergressus sit imitationem. Hos præceptores, hæc exempla apud vos laudo, Auditores. Itaque in hanc scholam omnis & sapientiæ & eloquentiæ meom posthac ite. Ad aliam si vos confertis, itis quo non eundum; imo, unde necessatio sit redeundum. Frustra autem negligimus quæ discenda, & discimus quæ dediscenda, nec nisi sero quid discendum sit exploramus. Quæ dicenda mihi imperat inveterata jam sæculi nostri labes. Ineptiæ quædam sunt,

quæ altas jam radices in multorum animis egere; quæ ſi ulterius graſſentur, quid aliud quam extrema litterarũ proxime exſpectamus? De ijs loquor, quibus jam ſordet ac vilis eſt in ſtruenda oratione imitatio antiquorũ. Negligentes majorũ poſteri, qui aut contemnunt dicendi artem, aut, quam ſibi fingunt, tantum æmulantur. Homines novi, qui cũ diſertos ſe putant, inania tantũ cymbala ſunt, muti & elingues. Nec aliter ſentiendum de illis, qui nimii antiquitatis æſtimatores, antiquitatem ex judicio antiquitatis non diſtinguũt. Qui vocabula abrogata, obſoleta, corrupta, ne quidem ſibi ipſis ſatis perſpecta, ſibi tantũ placẽtes & ſui admiratores, non oblata tantum, ſed ſtudioſe conquiſita ſolent uſurpare. Profecto vetulæ noſtrorum temporum, quæ rugas & os diſtortum malunt, quam plenum vigoris ac ſucci vultum. Muti ſimul & loquentes, dum loquuntur quemadmodum non eſt loquendum. Si meliora gnorent, admodum ſunt infelices; ſi norint, nec uti velint, miſere ambitioſi; ſi no-

norint, nec uti possint, fatui & inepti. Quis glandibus uti velit, postquam segetes inventæ? Quis aquæ haustum dulcis vini cantharo præponat? Abeant igitur præposteri illi mortales, qui tanquam Romana effundunt, quæ damnata tandẽ à Romanis; quibus ne quidem uti jam vellent, quos sequuntur. Indigni qui hoc sæculo nascerentur; digni qui sub Evandro producti essent & defuncti. Nec minus inepti sunt ac nocent, qui in dicendo ætates confundunt. Vt nihil dicam de Asiatico quorundam tumore, qui non rerum, sed verborum caussa loqui videntur; cum tamen verba inventa sint in gratiam rerum, non res in gratiam verborum. Quod vitium fuit cadentis & linguæ & imperij Romani, cum in frivola & inani vocum affectatione petulantia ingenij se exerceret. Stolidum est phaleris & calamistris orationis aures quidem, sed non animos intrare. Vis ejus potissimum in id exserere se debet, quod rationem appellamus. Nihil autem rationem movet, nisi quod ratio-

tionis eſt, & ad quod ratio adtendit. Quin potius ita dicendum eſt ut plus intelligant qui audiunt, quam dicant qui loquuntur. Non temere omnia effundenda, quod futiles ſolent, ſed aliquid relinquendũ animo adtendentis eſt. Nec intra hanc metam conſiſtit inſania noſtræ ætatis. Sunt qui inter dicendum projiciunt ampullas Poetarum, ſine quorum operoſo comitatu nihil ſe dixiſſe arbitrantur. Sed cum omnia dixiſſe ſe putant, nihil dixere. Digni qui non loquantur unquam, ſed canant. Ita ſubinde carmen audias, cum exſpectas orationem. Alii non conjungunt partes orationis, ſed divellunt. Haud dubie & incipere ſe & concludere illi neſcirent, niſi ad oram & exordium & concluſionem, tanquam pulcherrimum facinus, annotarent. Ridiculi mortales, qui cum uſum nobiliſſimæ artis exhibere deberent, in ejus rudimentis adhuc verſantur. Artis eſt ita componere ſtructuram orationis, ut non interrupta ſerie omnia quaſi ex ſe mutuo naſci videantur. Vt architectus

non tantum lapidem lapidi addit, sed conglutinat & conjungit. Sed quomodo artem tegerent, qui eam vel ignorant, vel contemunt? qui tanquam pueri apud viros loquuntur; & pueri sunt, cum viri esse deberent. Pestis sæculi est, quam damnamus. quæ si unum tantum aut alterum afflasset, facile esset morbo mederi. Sed enim contagio hæc plures affecit. Illos potissimum, qui futilium dictatores, incautæ juventutis ad ineptias sunt pædagogi. Fungi meri, qui omnia contemnuut, quæ non didicere. Ex quorum arbitrio si res gereretur, actum esset de majestate litterarum. Quod nec inscitia eorum effecerit, nec siverint illi, quos & ingenii, & judicii, & doctrinæ magnitudo, quamquam admodum paucos, nostrâ ætate adhuc commendat. Veniam peto, Auditores, & ignosci hoc ipsum, quod queror. Tenet me illorum odium, qui docere non possunt, quæ non dedicere, & tamen didicisse debebant; qui quæ nesciunt, & tamen

ig-

ignorari non debent, suos etiam nescire pro gloria sua arbitrantur. Non sum in hac bonę mentis Republ. Dictator, nec tanquam Prętor accepi juris dicundi potestatem; sed si meæ hic suffragia valerent, inficetis istis mortalibus non aquâ aut igni, sed usu litterarum interdiceretur. Videtis, Nobilissimi juvenes, quantum sit didicisse, quod dedisci non debet. De imitatione antiquorum iterum loquor. quorum genium tam pauci habent exploratum. Qui illis se dedit, ceteros contemnet. In solis illis invenire est & vim, & decus, & genium, & machinas omnes Eloquentię Romanę. Quibus quidvis expugnatur; inditur affectus aut extorquetur. Quibus tot contumaces animæ, tot regna, tot principes cessere. Quibus quis se sibi & aliis submittit. Quibus ipsa rerum natura cederet, si posset moveri. Ad hujus divinæ & cælestis Eloquentiæ privatum

tum ac publicum cultum vos nunc invito. Agite igitur, nobilissimi juvenes, ite quo vos vocat vestri amor; quo vos vocant parentum vota; quo vos Deus vester, cujus nonnulli aliquando futuri estis legati; quo vos patria, Principes, clientes vocant, qui vestra voce aliquando pro se dicturi sunt. Aut admodum fallor, aut jam videor mihi videre vestrum ardorem; videor videre, quale olim apud Ararem & Rhodanum, Romanæ Eloquentiæ pulcherrimum certamẽ. Cui ex publica auctoritate signum nunc erigo; & concurrite quotquot vultis. Nec inglorium vobis sit hunc ducem sequi. qui infantiam suam hodie dissimulare non potuit, ut Romanæ Eloquentiæ majestatem commendaret; qui quod vobis dixit, ipse ante omnia sequi & exprimere laborabit; qui si non magni ingenii, certe ignaviæ non dabit exemplum; qui denique hoc corpusculum, quod perire indies sentit, hunc spiritum, labores omnes suos & vigilias, sive sequi eum sive prævenire vultis, vestra facit.

MAR-

MARCI ZUERII BOXHORNII

ALLOCVTIO

NUPTIALIS,

AD

Amplissimum & eruditissimum Virum,

GUILIELMUM

GOESIVM, I. C.

& Reipub. Leidensis Senatorem,

SPONSUM,

Cum domum duceret

Nobilissimam & elegantissimam Virginem,

ELISABETHAM HEINSIAM,

Danielis Heinsii, Viri summi, filiam.

ORATIO XI.

QVandoquidem, Guilielme Goesi, hodie in eorum castra & sacramentum transgressus es, quorum industria,

movenda ejus commoda merito te nuper admodum vocavit. Equidem ejus intereſt, ne (quod haud ſiverit Deus) ſolitudinem in ea familia facias, quam ad gloriam temporum, & faſtigium litterarum genitam, ſui ſanguinis poſteros, & ad eadem exempla eductos, haud fas eſt deſiderare. quæ quantum ad immortalem gloriam, & ſupra omnium invidiam pridem profecit, ad tantam paucitatem redacta eſt, ſivé fato quodam rerum humanarum, ſive quia rariſſima ſunt quæ præ cæteris excellunt, ut quam abunde habet in publica omnium fama & tot meritorum magnitudine, virtuti etiam tuæ debere velit auctam æternitatem. Vides ergo, ut te excitent utrimque majores tui, neu ſuum in te exemplum deſiderari patiaris; & ſuam diſciplinam, ſuaque inſtituta ſequi velint. Spiritus jam tui ac vitæ unus hic fructus eſt, non tueri tantum eorum nomen, ſed propagare. Quæ cum tanta tibi incumbant, aude profecto, & fac pe-

non ſtatim adſunt eventus. Nec enim dubios & ancipites bellorum caſus ignorare potes. Neque eodem tempore ſemper vincunt, à quibus eodem pugnatur. Sunt prælia, quæ dies una aut nox, ſæpe horæ momentum, abſolvunt; ſunt in quibus dubitat fortuna, & quæ in longum trahuntur. Macedo ille, terror univerſi, qui non imperator tantum in caſtris eſſe voluit, ſed maritus etiam & pater, & vix quidquam in felicitate jam ſumma deſideravit, niſi quod gravidam potius reliquerit Rhoxanen, quam tanti imperii filium hæredem, ſæpe nulla magnis impenſis exſequutus eſt; & per clades aliquando ad victoriam profecit. Neque uno impetu Granicum amnem, aut Ciliciam cruore Perſarum mox inundatam, aut Arbellam, cujus campi devictorum oſſibus ſtrati ſunt, ſuperavit. Idem tamen ex Aſia in Europæ terminos momento unius horæ tranſivit. Qui exitus ut hanc quoq; expeditionem tuam maneat, gloriæ tuæ intereſſe puta. Interim vocaris ad

ad singulare certamen. In quo si hostem videas, vix quidquam tibi metuendum est. Nec enim cum peltata Amazone congrederis; quæ Herculem olim & potentissimos principes ferro provocare ausa, quo arcum promptius expediret & tela, eam sibi ussit secuitque corporis mollissimam partem, à qua si destituta esset, quam tu invadis, etiam post felicem pugnam, nullum victoriæ pretium putares. Neque alia jam dicam, quæ prisca ætate adversum viros prodigiosa gessere. Equidem cum virgine tibi res est, cujus quam generosus animus, tam invalidum corpus est. Et, quod victoriæ fiduciam vel maxime tibi faciat, ex iis genita, quæ cum viris commissæ in his præliis semper succubuere. Explica omnem annalium fidem, & haud aliter rem gestam invenies. Neqne id admodum mirari te velim. In ipso quippe æstu certaminis imprudentes cogitant de pace, & oscula oppugnantibus injiciũt ac amplexus. Consilium ipsæ vocant; saltim quia sic pugnant, vin-

cun-

cuntur. Neque tu tamen ideo habebis hostem ut imbellem; aut incaute ages, gnarus fortiores sæpe esse, qui contemnuntur. Quæ in hac militia concurrunt cum viris, locum non mutant; aut cogitant de fuga; vulnera excipiunt intrepidæ, & non nisi adverso corpore, quia ea honestissima sunt; &, post acceptam cladem, quotidie acriores insurgunt. Quæ, aut ego fallor, ingentis, &, si pateris masculi animi sunt argumenta. Neque tuam, mediusfidius, cui adsunt magnæ omnes, deficient eædem virtutes. quæ ne incautum te fallat, etiam atque etiam vide. In obscuro sunt ars & dolus; tantoq; magis est providendum. Quam hodierno die deditam tibi putas, mox se tibi opponet. Ducis nunc aut trahis ut captivam & in vincula conjectam, sed interim priorem fortunam respicit & libertatem. Militiæ ignara est, & armorum rudis, sed tamen pugnabit. Quo successu, tu videris. Et tyrones sæpe haud inferiores exstitere veteranis. Quæ, Hercule, haud prædico, quo tibi subsidat animus; sed ut ante

conflictum idoneo provisu adversum imminentia te componas. Armatus itaque intentusque sis, neque occasioni tu desis. Equidem, velis, nolis, jam tibi pugnandum, &, si quod magnum inter viros nomen quęris, vincendum est. At vero quę hunc diem promisit, detrectabit mox certamen. Quæret latebras, ut ignava, & trepidantem jam, tuasque pallentem manus, incingent comites, ut mos sexus est, armatę. Et magno animo insurgent, nescię & libertatis tuæ, & quantum virtutibus tuis debeatur. Hac ipsa luce adversum te plures, si nescis, conjurationem fecere. Tu interim, ubi fęminarum imbelle agmen obsepiet iter, aditum tamen invenies. Inter quas quantum clamoris & strepitus, quę vana sunt & non terrent viros, tam haud satis intentę excubię sunt, & nihil disciplinę. Earum tu vitia in gloriam tuam convertes, & per has, quę incompositę & inordinatę obsidebunt portas, fortiter erumpes; & cum qua congrediendum est, trahes ad promis-

missum certamen aut compelles. Enimvero vi iter faciendum est. Quod licet audax videri possit consilium, in rebus asperis tamen fortissima quæque consilia, tutissima sunt. Neque auxiliarium manu, quorum tibi cognita fides, heic uti, inconsultum putaverim. Post quæ, in ipso pugnæ loco, aut prohibitis illis aut dimissis, solus rem geres. Non labores hic, aut discrimina, aut gloria cum quoquam communicanda sunt. Ipse tibi futurus & miles & imperator, signum pugnæ dabis, &, ubi videbitur, receptui canes. Nec interim de gloria despera. Quamquam obscurum prælium, non erit ignobilis pugna. Facies rerum tuarum testes ipse, & tandem dabis, quos non adduxeris. Nec eorum vagitus minus fidei, quam mox verba merebuntur. Quamvis solus discrimini te offeras, omnia pro te sunt, si recte putas. Locus & caussa inprimis. Equidem si majores nostri, (ad quorum exempla identidem te voco) cum principe gentium

populo acrius feliciusque congressi sint, insistentes iis campis, in quis Varus olim cæsus & tres legiones, quid non tibi animi futurum credam, super vestigia virilis gloriæ stanti? Sub eodem conopeo, & in stragulis, quales tuæ, virtutis tuæ nunc area & campus, & eadem in posterum tibi æstiva ac hyberna, ab omni retro ævo, profligata fere est omnis pertinacia fæminarum. Caussa vero, ut mihi spei ipsius fiduciam, ita sane animos tibi addat. Æquam æstimat numen & tuetur. Si in acie adversus confertum hostem stantes accenderit unquam liberorum & conjugum, quæ cuivis bono carissima sunt, sive memoria, sive aspectus, quomodo non ad certamen te inflamment, & de ejus eventu optimam spem absolvant, tori tui ac pugnæ jam eadem consors, & tot suavissima pignora, quorum sola caussa in præsens discrimen res tuas adduxisti? Magnus me profecto animus habet, futurum, ut hic dies, nisi noctem tumalis, magnæ rei & pulcherri-
mæ

mæ tibi gloriæ initium sit. Tu modo ut cœperis, instandnm puta; & animum confirma constantibus exemplis. Nec te moveant lachrymæ aut gemitus prostratę. quæ ut fæminarum propria sunt, ita viros non percellunt. Enimvero ubi pugnandum, misericordia melior aliis est, quam militi affectus. Plura hic sæpe peccamus cum demeremur, quam cum offendimus. Sed & demereberis tibi, quam hic offendes, & vinces. Est tibi enim, nisi me fallat animus, in hostilibus castris favor, sed in oeculto. Pro quo tamen, prima coitione, quæ acerrima est, odium tui, & indignatio, & dolor erumpent. Sed bono animo te esse & optima spe velim. Nullæ jactantius merent, quam quę maxime lætantur. Intret gloriæ animum tuum, & tantæ prædæ cogitatio. In quâ non aurum & argentum aut margarita, quæ alibi & inter avaros pretia victoriæ sunt, ęstimabis. Exuet hæc illa & seponet, ut virtutis & pugnæ impedimenta. Videsne interim opimum spolium? In-

vade sedem gloriæ ejus & occupa; arcem tanta hactenus fide & cura custoditæ, ac invictæ virginitatis. Non plus amittunt principes aut tradunt, cum caput rerum & majestatem aliis inviti transcribunt. Nam in hoc bello, si nescis, quidvis licet; etiam quod jus gentium & disciplina in alia expeditione haud concedit; avellere, nimirum, virginem ab osculis parentum, & propinquarum complexu, ac vim inferre. Non ignoro laudibus in cœlum attolli modestiam P. Scipionis, qui captam virginem, specie eximiam, eadem habuit, qua apud parentes, verecundia, & Luceio, adolescenti Celtiberorum principi, reddidit inviolatam. Sed hanc tuam publicus consensus, &, quod majus est, ipsa ejus confessio jam fecit. Itaque cave, ne temere magnum exemplum imiteris. Nam, si quid mihi credis, nullam ab his, quorum nunc excitatæ spes sunt, inibis gratiam, nec pro veteri gloria erit, si ad proximæ lucis exortum restituas aut commendes intactam.

tactam. Interea virtutem Scipionis in ipso certamine sequi te velim. Neque angustiæ loci terreant, in quas includeris. Nequidquam desideras æquiorem, ubi uno tantum saltu opus, neque à tergo circumvenire hostem necesse est. Neque alias pugnandi leges aut ego tibi dictem, aut tu sequaris, quam quas à majoribus tuis, fortissimis sanctissimisque viris, accepisti. Non morabor impetum tuum. Iam enim accinctus es, & classicum vocat ad certamen. Interim discinctus, si quid judico, melius rem geres. Pugnabis autem prostratus, & vinces, cum jacebis. Vt enim nova pugnandi hic ratio est, ita vincendi, & similior victo est, qui vicit. Non eo inficias arcana hæc tibi videri; sed id tamen scito, has leges primos illos auctores conservatoresque generis humani posteris tradidisse. Quorum ope, labore, providentia factum est, quod auctum hoc gentis humanæ imperium, & multitudine hominum tam frequentem hanc Rempubl. hodie videamus. Cætera

tera inter honestos arcana sunt. Si vero quod ne fiat pro sapientia tua providebis, in primo vel altero congressu, dubitet aut iniqua tibi sit fortuna, scias defensioni esse locum, quæ non difficillima est apud haud ignaros humanarum necessitatum. Neque, medius fidius, id animum tuum dejiciat, aut ab instituto dimoveat. Populus Romanus cœptum pro Campania cum Samnitibus bellum, per centum annos, variante eventum fortuna, constanter tulit. Neque ideo minus reportata post victoria & virtus gentis celebrata est. Noctem hanc dies noctesque aliæ sequuntur. Tuum erit, semper stare in procinctu; aliquando ictum repetere; quævis captare tempora, sive meridies sit, sive ortus, sive occasus; non redimere vacationem muneris, quod proprium hic est & tantum tuum; denique, post annos sexdecim, ut veterani, non exspectare missionem. Illam hæc pugna non concedit aut agnoscit. Tu autem, inter quosvis casus, hanc ætatem, hunc vigo-

rem

rem tuum cogita. Quibus nisi jam utare, quantum annorum accedit, tantum roboris & virium perit. Nosti illam quiritantium Macedonum, & senio fatiscentium vocem; IAM TELA HEBETIA SVNT, IAM DEFICIVNT ARMA. Ac proinde tu circuitu gloriam non petes, quæ ad manum posita est. Sed quid ego ardentem jam, & tanta meditantem, teneo potius quam compello? Procurre igitur in prælium; & totum te effunde. Deus tuus, cujus auspicio hæc geris, & virtus tua, de qua nihil exspectatur mediocre, aut inferius gloria majorum, euntem te sequuntur. Castra partim aperta sunt. Si quid adhuc clausum est, reclude. Quid in te virium sit, hæc nox ostendet. Posteros modo cogita & majores. Tuos, inprimis, & gentem totam Heinsiorum, cui in eruditi orbis regno, optimorum consensu, sceptra jam & principatus deferuntur. Hi tuas intuentur manus; tuum ardorem, rerum, quas gesturus es, vademque præde habent. Et jam, Hercule, spe-

ctare

ctare mihi videor, quæ nondum gessisti. Iam prostrata est, quam invadis. Iam rebellionis pertæsa, cum tuam in pugna, & post victoriam, comitatem & mansuetudinem sit experta, gaudet se esse debellatam. Dexteram iterum tibi dat ac fidem, & oscula & amplexus repetuntur. Non jam hostem appellat aut credit, sed amicum. Iam post rem strenue gestam securus, somnum in iisdem castris capis, in quibus pugnasti. Quanquam non pax ista sit, sed armistitium. In quo cum utilitatis plus, ac momenti sit, nec pacem hic accipis, nec quæris. Nam multo tibi plus ex eo gloriæ, post deposita paullum arma, sæpius iterum pugnare & vincere, quam semel vincere, nec post pugnare. Nos vero, quanquam de civili aut domestico bello, amplissimum triumphum tibi decernemus. In quo tu, pompæ tuæ auctor ipse & caput, omni civitatis populo in spectaculum effuso captam nunc & oppugnatam & victam, ut vitæ ac omnis fortunæ sociam, & tuo-

rum

rum matrem, atq; ex eâ imagines tui, præmittes aut post te trahes. Cum inter vota & lætissimas acclamationes, pro tuæ & Heinsianæ domus æternitate, ad orbitatem damnati à natura, cum steriles, & infæcundæ matres, tuam tibi, quod felicitatis proprium est, invidebunt fortunam. Denique ipsi etiam, quorum nondum reclusa ora, balbutientes parvuli, omni tamen exceptione & quovis publico monumento majores, testabuntur virtutem tuam & commendabunt.

ALLOCUTIO

AD

Illustrissimum ac Generosissimum
DOMINVM,

THOMAM HOWARDUM,
Comitum Suffolciæ Filium ac Fratrem, Ducisque Norfolciæ Pronepotem, &c.

SPONSVM;

Cum domum duceret
Nobilissimam eximiamque Virginem,

WALBURGIN à KERCKHOVE,
Illustris Viri, IOHANNIS à KERCKHOVE, Domini in Heenvliet, &c. Filiam,

SPONSAM.

INter tot civilia ac funesta Europæ prope omnis, Britanniæque etiam ve-
strae

ſtræ bella, novum jam ac domeſticum quoq; meditantem te, Thoma Houwarde, Heros illuſtriſſime, ego etiam, quanquam gregariorum unus, convenire nunc audeo. Non, Hercule, eo animo ut accinctum jam te ab egregio incepto avocem; qui, poſt ſeptem fere ſtipendia, in his caſtris, ſive ęſtivis illis, ſive hybernis, (nam ne in hybernis quidem militanti hic eſt otium) neque ignave, neque omnio infeliciter exacta, quamvis inteſtinum hoc bellum quovis externo pulchrius duco: ſed ne audenti jam tibi, inter tot aliorum, qui magnitudini rerum, quas mox geſturus es, ac felicitati tuæ jam proludunt, acclamationes, aut æquiſſimæ cauſſæ tuæ, ſolus ego videar defuiſſe, Quid enim, quæſo te, in eâ iniquum? Nullam tu quidem ejus, cum qua jam committendus es, innocentiæ habes rationem; at ipſa hoſtium integritas ſanctitaſque prima ac juſtiſſima ejuſmodi pręliorum cauſſa ſemper fuit. Amoris nullam, quem debes, & ad quem ſolemni

ni sacramento jam te obstrinxisti; sed amare hic ita ut non lædas, nihil aliud est, quam odisse. Nullam inferioris sexus; ceterum qui non ut alias ad expeditiones, ita etiam istas, in quibus vix manu res geritur, impar aut imbecillis est. Nullam denique tot hodie bellorum, quibus tot passim inducuntur orbitates; sed hoc tuo illorum mala avertuntur. Alio forte in campo, atque alia, cum videbitur, sed detestata matribus, sequutus signa, & innocentibus, & imbecilli sexu ac ætate, subjectis etiam ac prostratis, tu parces. Nullus quippe, si quid harum rerum ego intelligo, clementiæ sive tuæ, sive aliorum, hic usus est. Ceterum præter verba ac vota nihil ego ad te nunc adfero; non sane quod in militia eos probem, qui, quod tantum ignavorum est, dies rerum verbis terunt, sed quod alia nec tu desideres, nec ego offerre hic tibi vel possim vel debeam. Neque aut tua aut majorum tuorum virtus ac animi magnitudo, quæ etiam est tua, externa hic exspe-

ctat,

ctat, sive auxilia, cum in hoc maxime campo flagitiosa sint vestigia viri alieni; sive arma, cum præter acceptam à majoribus hastam, alia omnia, inprimis quæ contra vim tegunt, ut clypeum vel parmam, vetustissima militiæ hujus ac sanctissima disciplina pugnanti non concedat. Idem tu nunc & dux tibi eris & miles, & unus, ut sic dixerim, ac solus, pro multarum copiis legionum. Quid enim aliud, quæso te, socii, vel auxilia, aut, si id mavis, commilitones hic sunt, quam hostes? De caussæ autem tuæ æquitate multa apud te disserere, haud necesse est: qui, quod inprimis laudandum constat, ac tuum est, pro humani generis, & utriusque splendidissimæ domus, tuæ, ac Kerckhoviorum, æternitate: vel de pugnæ modo; qui non cæsim, sed punctim rem hic geri; & generosissimum quemque latebras inprimis quærere; vel de loco; qui aptum huic prælio quemvis campum, stragula etiam & toros, esse didicisti. Sed neque per majorum tuorum,

quos

quos aut hæc ipsa Martis area cum regio Anglorum sanguine; aut & alia ac cruenta illa, cum maximi terroris copiis feliciter, nec semel, commissos olim vidit, facinora ac manes, cum inusitatæ virtutis eorum ac constantiæ ipse tibi monumentum sis, nunc compellandum te puto. Multo autem minus per tua. qui harum rerum licet rudis, nisi fallor, ac inexpertus, &, si pateris, adhuc tyro, tanto nunc fortius ac felicius, & ut integer, rem geres. Hostem vero, cui tu immines, contemnere, quod plerique solent, qui animos pugnaturo addunt, quid attinett? & quomodo aut cur ego te fallam? cum per tot sæcula, ac cruentatis tot campis, nobilissimis majoribus, & Belgis quidem, haud aliter ac Britanni olim, Romano formidatis, orta, prima hujus militiæ rudimenta apud te, nec tuę tuorumve virtutis aut magnitudinis ignara, non degener, non invita, &, quod masculi ac majorum animi argumentum est, sola, & jam quidem Diis hominibusque coram, depo-

deponenda susceperit. Neque expugnatu facilis hæc arx est, hactenus inaccessa; neque blandienti in ipso aditu hosti tu credas. Sic enim, nisi cautus es, te fallet. Restant tamen mihi auxiliatrices, si qua, ut sapientibus placet, horum sanctitati vis est, pro te votorum legiones; non quotidianorum & vulgi, & inter quæ, pacem tantum, & illæsa conjugia, & basiationes, & si quæ alia amantium sunt, complexa, Cajus ac Caja, multa proximorum acclamatione, committuntur; quæ à palæstra hac & pugna, quam nunc ingrederis, aliena sunt; sed illa mascula & Heroibus tantum intellecta ac probata, & in hujus prelii aditu, si quid audire jam vacat, audienda tibi; Vt, si quidem per res humanas id licet, cum cœlo ac terra bellum hoc vobis duret; Vt inter totius, tot jam per annos, ac ubique gentium, concussi commotique orbis, maxime autem tot preliis cruentatę, & jam fatiscentis Europę, tot pro pace vota, tot consilia, tot legationes; nullum vobis armistitium sit, nullę induci-
ducię,

duciæ, pax nulla, ut nullus denique horum, ad quæ accincti nunc estis, certaminum sit finis: Ut bellum ex bello, ac majus indies & pulchrius vobis nascatur: Ut in societatem ejus nemo alius conveniat; ut iidem vobis semper hostes sint & amici; Ut nihil oppugnantem, nihil, ne dispar conditio sit, oppugnatam in hoc conflictu tegat: Ut, si quidem per rerum humanarum ordinem id precari fas est, (& Hercle hic fas est,) utrique semper victoria, ac ejusdem usus maneat, & premium victoriæ ac decus, ovatio, non triumphus: Ut prælio uterque, nunquam bello, superiores sitis: Vt nulla interim dubia aut ambigua sit pugna: denique, ut post quodvis certamen multa vobis virtutis vestræ ac fidei, multa constantiæ, vulnerum etiam multa ac cladis supersint monumenta.

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO,

CUM

CORNELII TACITI

Interpretationem aggrederetur.

ORATIO XIII.

QVi mandatæ jam mihi Professionis initium à Cornelii Taciti interpretatione capio, Auditores, haudquaquam verendum mihi opinor, ne vel meæ pro vobis ſolicitudinis, vel etiam veſtræ de me exſpectationis rationem ſatis vedear habuiſſe. Inſpicienti enim mihi ſerio, quid in hac poſitus ſtatione primum potiſſimumque, in tanta rerum olim geſtarum non multitudine tantum, ſed

populo acrius feliciusque congressi sint, insistentes iis campis, in quis Varus olim cæsus & tres legiones, quid non tibi animi futurum credam, super vestigia virilis gloriæ stanti? Sub eodem conopeo, & in stragulis, quales tuæ, virtutis tuæ nunc area & campus, & eadem in posterum tibi æstiva ac hyberna, ab omni retro ævo, profligata fere est omnis pertinacia fæminarum. Caussa vero, ut mihi spei ipsius fiduciam, ita sane animos tibi addat. Æquam æstimat numen & tuetur. Si in acie adversus confertum hostem stantes accenderit unquam liberorum & conjugum, quæ cuivis bono carissima sunt, sive memoria, sive aspectus, quomodo non ad certamen te inflamment, & de ejus eventu optimam spem absolvant, tori tui ac pugnæ jam eadem consors, & tot suavissima pignora, quorum sola caussa in præsens discrimen res tuas adduxisti? Magnus me profecto animus habet, futurum, ut hic dies, nisi noctem tumalis, magnæ rei & pulcherri-

mæ

mæ tibi gloriæ initium ſit. Tu modo ut cœperis, inſtandnm puta, & animum confirma conſtantibus exemplis. Nec te moveant lachrymæ aut gemitus proſtratę. quæ ut fœminarum propria ſunt, ita viros non percellunt. Enimvero ubi pugnandum, miſericordia melior aliis eſt, quam militi affectus. Plura hic ſæpe peccamus cum demeremur, quam cum offendimus. Sed & demereberis tibi, quam hic offendes, & vinces. Eſt tibi enim, niſi me fallat animus, in hoſtilibus caſtris favor, ſed in occulto. Pro quo tamen, prima coitione, quæ acerrima eſt, odium tui, & indignatio, & dolor erumpent. Sed bono animo te eſſe & optima ſpe velim. Nullæ jactantius merent, quam quę maxime lætantur. Intret gloriæ animum tuum, & tantæ prædæ cogitatio. In quâ non aurum & argentum aut margarita, quæ alibi & inter avaros pretia victoriæ ſunt, ęſtimabis. Exuet hæc illa & ſeponet, ut virtutis & pugnæ impedimenta. Videſne interim opimum ſpolium? In-

vade sedem gloriæ ejus & occupa; arcem tanta hactenus fide & cura custoditæ, ac invictæ virginitatis. Non plus amittunt principes aut tradunt, cum caput rerum & majestatem aliis inviti transcribunt. Nam in hoc bello, si nescis, quidvis licet; etiam quod jus gentium & disciplina in alia expeditione haud concedit; avellere, nimirum, virginem ab osculis parentum, & propinquarum complexu, ac vim inferre. Non ignoro laudibus in cœlum attolli modestiam P. Scipionis, qui captam virginem, specie eximiam, eadem habuit, qua apud parentes, verecundia, & Luceio, adolescenti Celtiberorum principi, reddidit inviolatam. Sed hanc tuam publicus consensus, &, quod majus est, ipsa ejus confessio jam fecit. Itaque cave, ne temere magnum exemplum imiteris. Nam, si quid mihi credis, nullam ab his, quorum nunc excitatæ spes sunt, inibis gratiam, nec pro veteri gloria erit, si ad proximæ lucis exortum restituas aut commendes intactam.

tactam. Interea virtutem Scipionis in ipso certamine sequi te velim. Neque angustiæ loci terreant, in quas includeris: Nequidquam desideras æquiorem, ubi uno tantum saltu opus, neque à tergo circumvenire hostem necesse est. Neque alias pugnandi leges aut ego tibi dictem, aut tu sequaris, quam quas à majoribus tuis, fortissimis sanctissimisque viris, accepisti. Non morabor impetum tuum. Iam enim accinctus es, & classicum vocat ad certamen. Interim discinctus, si quid judico, melius rem geres. Pugnabis autem prostratus, & vinces, cum jacebis. Vt enim nova pugnandi hic ratio est, ita vincendi, & similior victo est, qui vicit. Non eo inficias arcana hæc tibi videri; sed id tamen scito, has leges primos illos auctores conservatoresque generis humani posteris tradidisse. Quorum ope, labore, providentia factum est, quod auctum hoc gentis humanæ imperium, & multitudine hominum tam frequentem hanc Rempubl. hodie videamus. Cætera

tera inter honeſtos arcana ſunt. Si vero quod ne fiat pro ſapientia tua providebis, in primo vel altero congreſſu, dubitet aut iniqua tibi ſit fortuna, ſcias defenſioni eſſe locum, quæ non difficillima eſt apud haud ignaros humanarum neceſſitatum. Neque, medius fidius, id animum tuum dejiciat, aut ab inſtituto dimoveat. Populus Romanus cœptum pro Campania cum Samnitibus bellum, per centum annos, variante eventum fortuna, conſtanter tulit. Neque ideo minus reportata poſt victoria & virtus gentis celebrata eſt. Noctem hanc dies noctesque aliæ ſequuntur. Tuum erit, ſemper ſtare in procinctu; aliquando ictum repetere; quævis captare tempora, ſive meridies ſit, ſive ortus, ſive occaſus; non redimere vacationem muneris, quod proprium hic eſt & tantum tuum; denique, poſt annos ſexdecim, ut veterani, non exſpectare miſſionem. Illam hæc pugna non concedit aut agnoſcit. Tu autem, inter quoſvis caſus, hanc ætatem, hunc vigorem

rem tuum cogita. Quibus nisi jam utare, quantum annorum accedit, tantum roboris & virium perit. Nosti illam quiritantium Macedonum, & senio fatiscentium vocem; IAM TELA HEBETIA SVNT, IAM DEFICIVNT ARMA. Ac proinde tu circuitu gloriam non petes, quæ ad manum posita est. Sed quid ego ardentem jam, & tanta meditantem, teneo potius quam compello? Procurre igitur in prælium, & totum te effunde. Deus tuus, cujus auspicio hæc geris, & virtus tua, de qua nihil exspectatur mediocre, aut inferius gloria majorum, euntem te sequuntur. Castra partim aperta sunt. Si quid adhuc clausum est, reclude. Quid in te virium sit, hæc nox ostendet. Posteros modo cogita & majores. Tuos, inprimis, & gentem totam Heinsiorum, cui in eruditi orbis regno, optimorum consensu, sceptra jam & principatus deferuntur. Hi tuas intuentur manus; tuum ardorem, rerum, quas gesturus es, vadem prædemque habent. Et jam, Hercule, spe-

ctare

ctare mihi videor, quæ nondum gessisti. Iam prostrata est, quam invadis. Iam rebellionis pertæsa, cum tuam in pugna, & post victoriam, comitatem & mansuetudinem sit experta, gaudet se esse debellatam. Dexteram iterum tibi dat ac fidem, & oscula & amplexus repetuntur. Non jam hostem appellat aut credit, sed amicum. Iam post rem strenue gestam securus, somnum in iisdem castris capis, in quibus pugnasti. Quanquam non pax ista sit, sed armistitium. In quo cum utilitatis plus, ac momenti sit, nec pacem hic accipis, nec quæris. Nam multo tibi plus ex eo gloriæ, post deposita paullum arma, sæpius iterum pugnare & vincere; quam semel vincere, nec post pugnare. Nos vero, quanquam de civili aut domestico bello, amplissimum triumphum tibi decernemus. In quo tu, pompæ tuæ auctor ipse & caput; omni civitatis populo in spectaculum effuso captam nnnc & oppugnatam & victam, ut vitæ ac omnis fortunæ sociam, & tuo,
rum

rum matrem, atq; ex eâ imagines tui, præmittes aut post te trahes. Cum inter vota & lætissimas acclamationes, pro tuæ & Heinsianæ domus æternitate, ad orbitatem damnati à natura, cum steriles, & infæcundæ matres, tuam tibi, quod felicitatis proprium est, invidebunt fortunam. Denique ipsi etiam, quorum nondum reclusa ora, balbutientes parvuli, omni tamen exceptione & quovis publico monumento majores, testabuntur virtutem tuam & commendabunt.

ſtræ bella, novum jam ac domeſticum quoq; meditantem te, Thoma Houwarde, Heros illuſtriſſime, ego etiam, quanquam gregariorum unus, conveni-re nunc audeo. Non, Hercule, eo animo ut accinctum jam te ab egregio incepto avocem; qui, poſt ſeptem fere ſtipendia, in his caſtris, ſive ęſtivis illis, ſive hybernis, (nam ne in hybernis quidem militanti hic eſt otium) neque ignave, neque omnio infeliciter exacta, quamvis inteſtinum hoc bellum quovis externo pulchrius duco: ſed ne audenti jam tibi, inter tot aliorum, qui magnitudini rerum, quas mox geſturus es, ac felicitati tuæ jam proludunt, acclamationes, aut æquiſſimæ cauſſæ tuæ, ſolus ego videar defuiſſe, Quid enim, quæſo te, in eâ iniquum? Nullam tu quidem ejus, cum qua jam committendus es, innocentiæ habes rationem; at ipſa hoſtium integritas ſanctitaſque prima ac juſtiſſima ejuſmodi prę-liorum cauſſa ſemper fuit. Amoris nullam, quem debes, & ad quem ſolem-

ni sacramento jam te obstrinxisti; sed amare hic ita ut non lædas, nihil aliud est, quam odisse. Nullam inferioris sexus; ceterum qui non ut alias ad expeditiones, ita etiam istas, in quibus vix manu res geritur, impar aut imbecillis est. Nullam denique tot hodie bellorum, quibus tot passim inducuntur orbitates; sed hoc tuo illorum mala avertuntur. Alio forte in campo, atque alia, cum videbitur, sed detestata matribus, sequutus signa, & innocentibus, & imbecilli sexu ac ætate, subjectis etiam ac prostratis, tu parces. Nullus quippe, si quid harum rerum ego intelligo, clementiæ sive tuæ, sive aliorum, hic usus est. Ceterum præter verba ac vota nihil ego ad te nunc adfero; non sane quod in militia eos probem, qui, quod tantum ignavorum est, dies rerum verbis terunt, sed quod alia nec tu desideres, nec ego offerre hic tibi vel possim vel debeam. Neque aut tua aut majorum tuorum virtus ac animi magnitudo, quæ etiam est tua, externa hic exspe-

ctat,

ctat, five auxilia, cum in hoc maxime campo flagitiosa sint vestigia viri alieni; sive arma, cum præter acceptam à majoribus hastam, alia omnia, inprimis quæ contra vim tegunt, ut clypeum vel parmam, vetustissima militiæ hujus ac sanctissima disciplina pugnanti non concedat. Idem tu nunc & dux tibi eris & miles, & unus, ut sic dixerim, ac solus, pro multarum copiis legionum. Quid enim aliud, quæso te, socii, vel auxilia, aut, si id mavis, commilitones hic sunt, quam hostes? De caussæ autem tuæ æquitate multa apud te disserere, haud necesse est: qui, quod inprimis laudandum constat, ac tuum est, pro humani generis, & utriusque splendidissimæ domus, tuæ, ac Kerckhoviorum, æternitate: vel de pugnæ modo; qui non cæsim, sed punctim rem hic geri; & generosissimum quemque latebras inprimis quærere; vel de loco; qui aptum huic prælio quemvis campum, stragula etiam & toros, esse didicisti. Sed neque per majorum tuorum,

quos

quos aut hæc ipsa Martis area cum regio Anglorum sanguine; aut & alia ac cruenta illa, cum maximi terroris copiis feliciter, nec semel, commissos olim vidit, facinora ac manes, cum inusitatæ virtutis eorum ac constantiæ ipse tibi monumentum sis, nunc compellandum te puto. Multo autem minus per tua. qui harum rerum licet rudis, nisi fallor, ac inexpertus, &, si pateris, adhuc tyro, tanto nunc fortius ac felicius, & ut integer, rem geres. Hostem vero, cui tu immines, contemnere, quod plerique solent, qui animos pugnaturo addunt, quid attinett? & quomodo aut cur ego te fallam? cum per tot sæcula, ac cruentatis tot campis, nobilissimis majoribus, & Belgis quidem, haud aliter ac Britanni olim, Romano formidatis, orta, prima hujus militiæ rudimenta apud te, nec tuę tuorumve virtutis aut magnitudinis ignara, non degener, non invita, &, quod masculi ac majorum animi argumentum est, sola, & jam quidem Diis hominibusque coram,

depo-

deponenda susceperit. Neque expugnatu facilis hæc arx est, hactenus inaccessa; neque blandienti in ipso aditu hosti tu credas. Sic enim, nisi cautus es, te fallet. Restant tamen mihi auxiliatrices, si qua, ut sapientibus placet, horum sanctitati vis est, pro te votorum legiones; non quotidianorum & vulgi, & inter quæ, pacem tantum, & illæsa conjugia, & basiationes, & si quæ alia amantium sunt, complexa, Cajus ac Caja, multa proximorum acclamatione, committuntur; quæ à palæstra hac & pugna, quam nunc ingrederis, aliena sunt; sed illa mascula & Heroibus tantum intellecta ac probata, & in hujus prelii aditu, si quid audire jam vacat, audienda tibi; Vt, si quidem per res humanas id licet, cum cœlo ac terra bellum hoc vobis duret; Vt inter totius, tot jam per annos, ac ubique gentium, concussi commotique orbis, maxime autem tot preliis cruentatę, & jam fatiscentis Europę, tot pro pace vota, tot consilia, tot legationes; nullum vobis armistitium sit, nullę inducię,

duciæ, pax nulla, ut nullus denique horum, ad quæ accincti nunc estis, certaminum sit finis: Ut bellum ex bello, ac majus indies & pulchrius vobis nascatur: Ut in societatem ejus nemo alius conveniat; ut iidem vobis semper hostes sint & amici; Ut nihil oppugnantem, nihil, ne dispar conditio sit, oppugnatam in hoc conflictu tegat: Ut, si quidem per rerum humanarum ordinem id precari fas est, (& Hercle hic fas est,) utrique semper victoria, ac ejusdem usus maneat, & premium victoriæ ac decus, ovatio, non triumphus: Ut prælio uterque, nunquam bello, superiores sitis: Vt nulla interim dubia aut ambigua sit pugna: denique, ut post quodvis certamen multa vobis virtutis vestræ ac fidei, multa constantiæ, vulnerum etiam multa ac cladis supersint monumenta.

MARCI

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO,

CUM

CORNELII TACITI

Interpretationem aggrederetur.

ORATIO XIII.

QVi mandatæ jam mihi Professionis initium à Cornelii Taciti interpretatione capio, Auditores, haudquaquam verendum mihi opinor, ne vel meæ pro vobis solicitudinis, vel etiam vestræ de me exspectationis rationem satis vedear habuisse. Inspicienti enim mihi serio, quid in hac positus statione primum potissimumque, in tanta rerum olim gestarum non multitudine tantum, sed

hoc iudicio velim; sed quod, cum omnes laudanda fecerint, in singulis necessaria multa, & quæ huc faciunt omnia, precipua certe, rerum gestarū olim quasi capita, non deprehenderim. Alii quippe res sacras tantum, profanas alii, sacris ignoratis aut neglectis; alii & has pariter & illas, quod profitentur, tradituri aut intra breves nimis gyros tot rerum & sæculorum ambitum circumscribunt, plerisque, & quorum desideratissima merito est memoria, exclusis; aut in iis toti, ac non cum tædio modo legentium, sed & damno, majora sibi omnia pollicentium, prolixi sunt ac diffusi, quæ ad singulorum potius hominum, quod plerumque fit, aut singularum gentium, quam totius humani generis res, mutationes, casus ac exempla, attinere videntur. Equidem ita invenio, clades potius populorum singulares, ut illas Romanorum ad Cannas, Grecorum alibi celebratissimas, quam ea, ex quibus insignes natæ sunt imperiorum mutationes, & nonnuncquam magis

magis privatam Socratis constantiam, quam Bruti in expellendis Romanorum regibus, quod totam ejus populi Rempub. mutavit, facinus passim facunde & ambitiose memorari. In singularum forte rebus nationum memoriæ posterorum offerendis excusandum id fuerit; at in præcipuis omnium, quæ caussas eversionum mutationumque celeberrimorum etiam imperiorum haud dubie complectuntur, narrandis, locum id nequaquam apud recto instructos judicio, & sic majora exspectantes hic merito desiderantesque, habuerit. Nullum igitur idoneum, & justo omni apparatu instructum ducem, qui mihi vobisque in longo hoc & vastissimo opere, & tot sæculorum tractu, usui esse possit, hactenus ego non invenio. Quod non temere aut superbe ea quæ hactenus annalibus gentium libris prodita sunt, fastdientis, est judicium, sed seduli, si quidem id mihi per vestra de me, meis-

que

que in vos studiis, judicia dicere nunc licet, ac diligentis in iis exquirendis, quæ & publicam & privatam vestram implere hic possint exspectationem. In quo quidem dum sum ego, & in diversa anceps, ut fit, trahor; plane interim silendum non fuit, & saltem promendum aliquid, quod paratum cuivis ac obvium huc pertineret. Circumspicienti vero id, & Romanorum florentissimæ ac per tot passim totius terrarum orbis nationes, ac plurima sparsæ sæcula diffusæque res, earumque gravissimus & accuratissimus auctor CORNELIUS TACITUS, imprimis mihi offeruntur. Neque enim gens ulla suum latius olim exporrexit imperium, quam Romana, neque res ejus amplissimas, ut profecto sub primis illis Cæsaribus longe fuere amplissimæ, diligentius quisquam, aut majore iudicio ac fide, persequitur, quam ille: cujus Annalium & Historia-

rum

Historiarum libri talia tantaque, & eâ sive gravitate scribendi, sive majestate complectuntur, quæ summorum & in humanarum rerum usu subactorum hominum judiciis jam pridem persuadent, incomparabilem jacturam factam esse in iis, quæ ab eo cura fideque pari tradita, magnâ temporum injuriâ, periere. Ejus quippe ille Romanas res tempestatis memoravit, qua sub Augusto totus terrarum orbis, tanquam subditus victori & obnoxius, describebatur; qua Romanum totus ille & in Oriente & in Occidente imperium dicebatur. Adeo ut qui ejus populi tunc facta legeret, quasi humani omnis generis, ut florentissimus auctor judicat, res pariter inspicere, ac circumire, &, ediscereaveluti videretur. Quare & nihil excusandum hic mihi intelligo, qui celebriorum omnium gentium facta traditurus vobis, unius quidem populi, sed illorum ejus temporum gesta reddo vobis ac repræsento, quibus terrarum Dea ac nationum omnium caput & princeps Roma, maria ubique o-

mnia,

nia & flumina, & gentes adeo omnes, vel victa armis & subdita, ac in Provinciarum formam redacta, vel amica & socia, vel religione, reverentia, ac incusso metu possessa, id est, pene omnia unius populi Romani esse videbantur; quibus, post Galliam & Britanniam domitas, & , ut ipsi loquebantur, possessos prope ultimos naturæ rerum fines, Rhenum inter & Albim, nobilissimos Germanorum, & nostros adeo amnes, quanquam Germania superbe tunc potius à Romanis triumphatâ quam victâ, fasces, secures, & alia eorum dominationis insignia, ab iratis quidem ac invitis, & necdum fractis, sed perculsis tamen & reverenter à nonnullis spectabantur; quibus denique & Syria & Ægyptus, & totus pene suetus regibus Oriens, servire Romanis, & Romanorum artibus corruptos, iisque obnoxios, petere supplices Româ Reges ac Principes dicebantur.

R Ni-

rumque tunc ab iis rerum memoriȩ nunc supereſt, ſolis Romanorum, quæ manſerunt manebuntque, monumentis debeatur. Quis, ut de aliis nunc non dicam, neve extra Europæ noſtræ orbem hic excurram, Gallorum Britannorumque ſermonem, ſacra, imperii formam ac leges, Druidas, diſciplinam eorum, vim ac poteſtatem, Cenas, Soldurios, Geſatas, & publicorum privatorumque morum alia prope infinita, nunc noſceret, niſi Romanorum commentariis diligenter inſcripta hodieq; legerentur? Quis, nullam olim gentem fide fuiſſe ante Germanos? quis indolem ejus ac acre ſtudium pro libertate, reges ejus ac principes, ſed in quantum regnabantur, mores vetuſtiſſimos eorũ, ritus ac vitam? quis indicta & quomodo publicis de rebus concilia, quis tot populorum nomina, quæ celebratiſſima olim, nunc vel obſcura ſuperſunt & pene ignota, vel plane intercidêre? quis quæ domeſtica eorum diſſidia & bella, quæ cauſſæ eorum & occaſiones? quis Batavos, non

ignobilem neque despectam olim, hodieque florentissimam gentem, socios & amicos Populi Romani, & Augustorum corporum custodes, & in usum armorum, ut sagittas & tela, sepositos; quomodo Rhenus noster, & Vahalis & Mosa, & alii olim amnes fluxerint; situs tot, quæ prope infinitæ sunt, vetustissimarum nationum; quis posterorum, inquam, ea omnia, & alia, quæ alias ubique spectant gentes, hodie agnosceret, nisi in Augustæ sive Romanæ Historiæ tabulis notata passim hæc offerrentur? Constat jam, nisi ego quidem admodum fallar, & in Romanorum Historia, præsertim florentissimas & latissime sparsas diffusasque eorum res Cæsaribus imperantibus complexâ, celebratissimarum ubique gentium facta, licet non omnia, omnia tamen, quæ ex vetustissimorum nunc temporum memoria repetita cognosci hodie possunt, velut breviario quodam contineri, & idoneas

neas mihi magnasque, à CORNELIANIS illis amplissimis gravissimisque Annalibus imperatam Historiarum professionem nunc ordiendi, rationes non defuisse. Inspicienti enim mihi, & diligenter profecto inspicienti, tot nomina eorum ac monumenta, qui Romanas, ac cum iis aliarum etiam nationum, res pari & fide & cura olim prodidere, desiderandi plurimi, pauci, ex quibus eligerem, fuere. Quippe, sive id factum negligentia posterorum sit, sive immensa prope eorum copia, qui cadentis exstinctive, & in alios non in Oriente modo sed & Occidente translati Romanorum imperii res composuere; sive, vacillante Romana potentia & collapsâ, odio in celebratissimam olim, sed gravem magnitudine sua & plerisque invisam, gentem; sive fatali invecta à Gothis rebus omnibus ac studiis injuria; ex pluribus paucissimi hodie supersunt Romanarum rerum Scriptores. Quæ

de incomparabili adeo jactura identidem cogitantem me non dolere tatum, ſed admodum mirari ſubjit, quare perire ſibi ea ac poſteris ſuis homines ſiverint, quæ nulla deinceps reddenda ope vel induſtria, perpetua ſequentium ſæculorum, & juſtiſſima, ſed jam vana, deſideria erant futura. Cæterum defleri hæc mala jam apud vos à nobis poſſunt, non corrigi. Quæ vero ex incendio velut rapta hujus generis monumenta & ſic conſervata ſunt, partim lacera, in quibus, ut de aliis nunc non dicam, quanquam dicenda reſtent etiamnum plurima, Salluſtii illa & Livii, maximorum auctorum, præcipue numeramus; partim integra quidem, ſed compendio à brevitatis potius quam rei ipſius, quæ ampliſſima tradi debuit, ſtudioſis corrupta, jam nobis offeruntur. Itaque ad Tacitum flectenda nobis judicii ratio nunc fuit; in cujus monumentis, licet multum quoq; iis iniquitas temporum detraxerit, quanquam ut immortalia omnia eſſent ac æterna meritis, res

Ro-

Romanorum amplissimæ, & per totum diffusę terrarum orbem, inter ipsa Monarchiæ Cæsarum initia, leguntur. Neque prætermittendus ille nunc nobis vel ideo maxime videbatur, quia Historicorum solus ipsa rerum narratione quis eorum, quæ olim gesta sunt inter homines, usus sit, ostendit. Quod ego quidem tanto pluris faciendum censeo quanto plures inveniuntur, qui facta olim legunt diligentius aut tradunt, quam expendunt; narrant potius, quam judicant, deniq; ex scriptura Annalium plus voluptatis hauriunt, quam utilitatis. Haud aliter profecto quam anus, quibus ad colum sedentibus ante facta, & comperta sibi, narrare nihil aliud est, quam tempus fallere & otiari. Hic & narrat pariter & judicat, nihilq; majoris rei promit sine interioris aut Principis, aut Senatus, aut populi, aut sapientum; id est, suæ, ejusque severæ & gravissimæ sententiæ comitatu. Alios plerosque præterita tradentes qui legunt, in foro quasi tantum, & compitis aut trivio, & apud vulgus, quod eventa

fere tantum notat & intelligit; qui vero hunc, in ipso Senatu, in Sacrario ipsorum Cæsarum, inter consilia ipsa, quantumvis abdita aut abstrusa, versari, atque adeo ipsa regnatricis domus, & principis, & imperii, & dominationis, ut passim ipse loquitur, arcana penitus introspicere sibi videntur. Neque hæc ejus judicia temeritatis quisquam arguerit, (ut alia pædagogorum & umbraticorum hominum pleraque, qui ad ea tantum admissi, quæ audit quisque ac videt, de abditis & ignotis tanquam compertis, & velut interioris apud rerum principes admissionis, pronunciant; cum & ex præcipuis ipse, & summis dignitatibus functus, hujus etiam Belgicæ nostræ Procurator, ac maximi Consulis gener, & ad scrinia scripturasque ipsorum Cæsarum, ut passim indicat ipse, admissus, recondita quæque & clausa aliis, penitus habuerit explorata. Accedebant ad scribentis felicitatem libertatemque depulsa servitus, & infesta

ſta, ſub Domitiano inprimis, virtutibus tempora; quibus, ut graviter ipſe loquitur, cum Aruleno Ruſtico Pœtus Thraſea, Herennio Senecioni Priſcus Helvidius laudati eſſent, capitale fuit; neque in ipſos modo auctores, ſed in libros quoque eorum ſævitum, delegato Triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in Comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem Populi Romani & libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani aboleri poſſe arbitrabantur, expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus, atque omni bona arte in exilium actâ: quibus datum fuit grande patientiæ documentum, cum per inquiſitiones loquendi etiam audiendiq; commercia tollerentur. At rediit illuſtribus ingeniis, Tacito inprimis, animus primo ſtatim beatiſſimi ſæculi exortu, quo & Nerva Cæſar res olim diſſociabiles junxit, principatum & libertatem; augebatque cottidie felicitatem imperii Nerva Trajanus; nec ſpem modo ac votum

securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur tunc assumserat. Adeo ut compositis ab eo gestarum passim rerum monumentis tantum fidei tribuendum sit, quantum florenti sub Nerva & Traiano fuit libertatis. Plerique quippe alii, quibus res suorum proximorumve temporum proditæ sunt, aut odio aut amore corrupti, nihil nisi mendacia vulgavere. Cæterum nequicquam in ejus laudatione ego me occupo, pro quo maximorum hodie omnium, etiam subactorum in Repub. hominum judicia contendunt; & cujus scripturæ pondus ac magnitudo inspicienti statim ac ubique se commendat. Neque tamen obiter mihi vobisve inspiciendus ille est, Auditores, qui quanquam in magnarum rerum narratione quæ momenti alicujus sunt promat omnia, plura tamẽ tegit & recondit, quæ serio tantum legenti aperiuntur. Neque enim lectione tantum, sed memoria, sed judicio, & summa attentione est opus; sed & incredibili quadam sagacitate, ut eventa cum originibus suis & caussis,

&

& quasi cunabulis, quæ diligenter & summa judicii gravitate ab eo explicata sunt, continuo contendamus; ut in partibus, quomodo vir hujus sæculi clarissimus recte alibi judicat & loquitur, totius usum negotii; ut ipsas inter se pariter & cum re tota pervideamus; ut denique rerum in speciem & primo adspectu minimarum non exigua aut contemnenda momenta, in ipsa sæpe dictione ac stylo, penetremus. Cum enim arcanam neque vulgo obviam ubique prudentiam contineat, profecto non admirabile minus est & arcanum, & inusitatum aliis, abdita quæque & recondita exprimendi genus. Adeo nihil in omni ejus sermone est, quantumvis conciso ac brevi, quod non maximæ observandæque inprimis rei vim habeat ac significationem. In quo cum asperitatem quædam aut insuetam speciem habere videantur, nihil majestati tamen, quam dicendo magnitudini rerum adæquat, officiunt, sed robur ejus omne perficiunt ac absol-

 vunt.

vunt. Equidem ita invenio, qua quantâque cura & sollicitudine dictæ in curia gravissimis de rebus sententiæ, facta Senatus consulta, conditæ leges, cœpta bella aut finita, administratæ provinciæ, expositæ & exceptæ, vel auditæ splendidissimæ legationes, structæ clam insidiæ & doli, tantâ accuratissimum auctorem singula legentibus exhibuisse; plane ut omnis ejus oratio, quæ & narrat simul, & judicat, & præcipit, & vetat, ac factorum usum ab eorumdem notitia ac cognitione nunquam seiungit, rerum quas tradit, & abditorum quæ prodit consiliorum, perfectissima apertaque imago mihi quidem esse videatur. Meum igitur erit, nobilissimi & lectissimi Juvenes, tanti auctoris opes, quas & promit ita ut recondat, & sic recondit ut promat, posthac recludere, eâ industria, diligentia ac fide, ut non quæcunque quidem ego debeo, sed possum, audeam vobis polliceri. Vestrum autem, de quibus summa

ma omnia, his præsertim, quæ difficillima & impedita admodum sunt, temporibus, patria cujusque promittit sibi ac exspectat, ea ex gravissimo auctore legere posthac sive præcepta sive exempla, quæ in humanarum divinarumque rerum tractatione cuivis sunt profutura.

MARCI

MARCI ZUERII
BOXHORNII

ORATIO,

CUM

PANEGYRICI
PLINIANI

Interpretationem, post morbum gravissimum, aggrederetur.

ORATIO XIV.

TANDEM ego me sisto hic vobis, Auditores; si quidem animum videatis, alacrem illum satis & expeditum, at si corpusculum hoc, debile adhuc & exangue, & vocem, si unquam, nunc maxime trepidantem, & poplites ægre membra sustinentes; quasi militem prompto quidem, sed tamen impedito adhuc gra-

du

du redeuntem ad signa post gravissimum conflictum, & accepta multa vulnera, quibus nondum satis obductæ sunt cicatrices. Sive ea ultimi prope morbi adhuc supersint mihi vestigia, sive id faciat ipsa hujus religio loci, sive eorum, apud quos non nisi eximia omnia dicenda sunt, hominum adspectus, sive excitata hodie in vobis, nobilissimi Iuvenes, magna de me exspectatio, quemadmodum ex hoc loco non nisi magna ex aliis clarissimis disertissimisq; viris, collegis meis, refertis, sive quod post tam longum silentium nova mihi & velut prima sit hæc cura, sive denique hæc simul omnia nunc concurrant. Ego quidem sane, quanquam nondum exactæ mihi essent illæ castrēsibus Romanorū legibus præscriptæ tot duræ hyemes, tot exercitæ æstates, non jam annis, sed atrocissimo morbo velut fractus, tanquam veteranorum unus, à summo imperatore proxime exspectaveram missionem; id est præmium qualiscunque hactenus curæ & laboris, ejusdem finem, & distinatas ei beatorum sedes

& ad quas, longe profecto aliter atque in reliqua omni militia, non nisi deposito hoc corpusculo, velut viæ impedimento, commode transitur. Neque degener profecto, aut invitus; qui, cum quaqua per res humanas circumferrem oculos, observarem in exitium suum passim conversum terrarum orbem, ac armatum; delitias ejus paullo ante & florentissimam Europam fœdissimis bellorum, inprimis civilium, tempestatibus concussam, fractam, stupratam passim & prope enectam, ingemiscentem cladibus funeribusque suorum tanquam odisset, augentem vero illa, & bella ex bellis & iniurias ex iniuriis trahentem, tanquam mala sua amaret; inter tot pro pace consilia Principum & legationes, tot supplicationes privatorum & vota, non nisi certamina tanquam in acie & campo, aut specioso nomine velatas insidias, ipsis bellorum tempestatibus nocentiores; in ingeniorum autem, de quo nobis hic maxime

me dicendum est, & sapientiæ hoc regno, ipsum inscitiæ eumque longe amplissimum principatum; dum pleraq; abdita adhuc sunt, quæ sive stolida quadam ambitione, sive potius inscitiæ nostræ ignorantia ac delinimentis, & ab aliis libenter accipimus, & ipsi nobis fingimus, & superbe jactamus, ac aliis quoque tradimus, velut aperta & reclusa; dum aliorum ignorantiæ, ignari ipsi, humanitatis inprimis, petulanter insultamus; dum denique maxima pars eorum quæ scimus, (si quid forte hic sciri posse, dicendum sit) sapientissimorum etiam non tantum confessione, sed exemplo quoque, minima est eorum, quæ ignoramus. Hæc accurate circumspicienti tunc mihi, (ac vero tunc maxime & vacabat & necesse erat circumspicere,) nihil ad felicitatem deesse mihi visum est, nisi ut reliquis omnibus curis depositis ac despectis, Cimmerio hoc orbe, & densissimis in hac quam putamus luce tenebris relictis, acriter alacriterque ad eas sedes in-

invadendas me accingerem, quæ ita ingenia nostra ac judicia perficiũt & absolvunt, ut ex iis demum inspicere & agnoscere detur humanarum rerum ludibria, earum etiam quas hic tantopere colimus & laudamus At vero singulari & abdito judicio Dei immortalis, quod proinde sanctissime me imprimis agnoscere & revereri hic fas est, dum ex hoc carcere & vinculis præsentem quasi video, ac velut porrigentem jam mihi manus amplecti ipse paro, plenissimam ac coelestissimam libertatem, ecce, præter spes omnes meas ac aliorum exspectationem, iterum quasi adscribor glebæ, & redire jubeor ad signa, & tarde quidem, ut post tot vulnera, & tam grave certamen, tandem tamen hodie deferor ad pristinam stationem. Non est autem, ornatissimi Auditores, quod hujus tam longi sive otii sive silentii rationes alias a me exspectetis. Quippe silentium quidem illud, sed non otium fuit, aut ego saltim nescio quæ sint omnium gravissimæ

ſimæ occupationes. Mihi quidem profecto illæ eſſe videntur, quæ reliquas omnes perficiunt & abſolvunt; quæ omnium ſunt finis; & ex quibus de omnibus judicatur & ab eo quidem, qui ſanctiſſimus eſt judex, qui omnium eſt gnarus & penetrat omnia, & apud quem nequicquam etiam quæ tecta ſunt tegas; cujus res judicatæ ſunt primi propagatores generis humani, innocentes nati, ob noxam etiam in poſteris damnati; merſus diluvio terrarum orbis; confuſa ingenia nationum omnium ac ora; lapſi cœlo ignes, quibus gentes totæ & imperia exſtincta, potentiſſimorum principum fractæ res, denique totus terrarum orbls in omnibus, in his etiam quæ maxima & ampliſſima vel jactat vel habet, damnas ac miſer, & infinita alia, cuivis ac ubique obvia, ſeveriſſimi nec ſubterfugiendi judicii ejus monumenta. Has, quæ & habuere tunc me, & adhuc habent, curas tanto lubentius apud vos nunc repeto, quia proxime experiundo

do didici, immortalitatis, in morbo præsertim, meminisse, revera esse in morbo bene valere; non meminisse autem, etiamsi cætera valeatis bene, nihil esse aliud quam graviter ægrotare. Sed ex aliis potius, quam ex me, hoc præsertim tempore & loco; hujus sapientiæ, quæ profecto est omnium prima & ad summam felicitatem sola sufficit, præcepta exspectatis. Et sane id jam tandem mihi agendum intelligo, ut illi vestro ex me desiderio satisfaciam, cujus explendi caussa tam frequentes nunc convenistis; si modo explere illud ego possim, qui magna neque promittere possum, neque præstare; nisi forte magna vobis sint singularis in vos amor ac fides, & ad omnia, quæ hujus inprimis ordinis sunt, officia defutura nunquam promptitudo; in quibus maximis quibusque, aut iis quos vos merito maximi facitis, non concedo. Equidem ex quo ad ornandam hanc Spartam sum vocatus, in

id unice & conſtanter incumbendum mihi iudicavi, ut admodum adoleſcens virum me vobis hoc loco probarem; provecta vero jam hac ætate, velut adhuc adoleſcens, & unus ex vobis, ac ut commilito veſter, contubernalis aut ſocius, parem mihi vobiſcum oſtenderẽ diſcendi adhuc conditionem; ac eâ quidem, quam jam pridem mihi ipſe ego indixi, lege, ut qualiumcumque ſtudiorum meorum uſus fructuſque ad vos potiſſimum rediret; ut non tam hanc ſedem, quam exſpectationem veſtram, & ſpes patrum, ac uniuſcujuſque patriæ, de vobis conceptas explerem; ut denique, quæ pręcipua noſtra eſt & honeſtiſſima ambitio, non adverſis vel veſtris, vel veſtrorum de me judiciis uti liceret. Atque hujus quidem deſtinationis meæ conſcientiam dum identidem interrogo, plurimum quidem ingenii mihi & doctrinæ, nihil tamen curæ vel fideî hactenus defuiſſe intelligo, pręſertim in iis ex antiquorum laudatiſsimis monumentis in-

du-

duſtriæ veſtrę offerendis, ex quibus non ad ſapientiam tantum, ſed & eloquentiam civilem recta itur. Neque enim nunc dicam de ea jucunditate, quæ ex iis innoxia & omnium maxima capitur, dum reddimus ſic nobis tempora jam pridem elapſa; nobiſcum agunt & loquuntur, qui olim exceſſere, aliorum diſcrimina, felicitatem aliorum tuti, nec invidi, contemplamur; denique qui non tam mortales ſumus, quam quaſi in diem hic vivimus, omnem priorum ſæculorum ambitum longe lateque invadimus ac penetramus; haud aliter profecto ac nati & florentes iis temporibus, quibus non viximus, & domeſtici aut familiares & intimi eorum, qui jam pridem exceſſere. Si enim ſola iſta, nec in alium quam amęnitatis uſum, in ſcriptis antiquorum ſe nobis darent, neque præ cæteris eos extollerem, qui in Repub. etiam partem curarum cum iis partiuntur, neque admodum eos ex adverſo reprehenderem, qui, neſcio quibus aliis

liis dediti aut innutriti, ut alia omnia pulcherrimarum artium egregia, ita hæc quoque aſpernantur. Cæterum ſunt in iis haud dubie & latent, ac cum curâ inſpicientibus ſtatim & continuo offerunt ſeſe, quæ qui ſolo antiquitatis titulo aut amænitatis proſcribunt non tantum, ſed etiam contemnunt, ignorant profecto & potiſſima iſtius curæ momenta, & vim earum artium ac robur, quæ ut ad alia, ita Reipub. inprimis adminiſtrationem quovis tempore in magnum rerum uſum rectiſſime conferuntur. Adeo quidem, ut ſicut incuſanda forſan videri poſſit natura rerum, quæ, noverca potius quam mater, intra vivendi arctiſſima ſpatia incluſis nobis in iis, qui naſcuntur hodie (ſicut ad deteriora magis magiſque indies deflectimus) offert ſæpius majorum vitia, quam virtutes; ita veterum monumentis maxima omnia debeamus, in quibus, velut certiſſima & nullis jam temporum aut hominum iniuriis expugnandâ arce æternitatis ac ſede, non aliter ac lapſa quædam cœlo anci-

ancilia, earum rerum virtutumque exempla custodiuntur, quæ quam fere plerumque superant, tam invitant ac impellunt posterorum omnium, si quidem recte sentiant & degeneres esse nolint, imitationem. Ita, quanquam ad mortalitatem á natura damnati simus, agendo tamen & scribendo in immortalitatem quasi quandam & exempli æternitatem imus, ut in exemplnm vixerunt nobis & descripti sunt, qui tot ante nos sæculis res humanas deseruêre. Nemo antiquitatis nomen obijciat, tanquam nullum inter homines novos; antiqui mores ut omnium sanctissimi non laudantur tantum, sed ut nunc quoque maxime necessarii sanctissimis optimorum quorumvis votis expetuntur; nemo tempora mutata, & vicissitudines rerum ac consiliorum; bonæ artes semper debent, &, si quidem per hominum mores id liceat, gerere possunt principatum; nemo Rempub. alienam; quævis optime administranda est; nemo denique personas alienas; nec enim cum Pythagora redi-

vi-

vivatum, ut ille loquitnr, aut transitum animarum in corpora aliena, sed optimorum maximorumque hominum expressam quandam quasi imaginem ac similitudinem jure hic postulamus. Neque enim aut Reipub. exspectationi illi satisfaciunt, aut magnitudini dati olim magni ac illustris exempli, qui admirari illud malunt, quam imitari. Et si olim sanctissimorum quorumdam & severissimorum hominum judicia intercedendum non putaverint illustrium virorū imaginibus, quæ mamore aut ære finguntur, &, ut ipsa hominum ora, caducæ sunt ac imbecillæ, ut earum saltem, quamdiu superesse & durare poterant, adspectu in agnoscentium animis flammæ quasi quædam ac faces ad pulcherrima accenderentur; quomodo non magnifice sentiendum erit de mentis eorum simulachris, cujus solius forma tradita posteris æterna ac immortalis est? Et quanta quidem quamque indomabilis in iis vis sit in attollendis animis aliorum & ad summa omnia excitan-

das, ne quidem pessimi ignorant; & haud ignorare sese justissimo metu ostendunt. Quis, quæso, inter Romanos Principes post Neronem corruptior exstitit Domitiano, & quis proinde magnorum hominum memoriæ infensior? Macula ille Romanorum Principum & vibex, virtutis sustulit monumenta, cum esset dissimillimus, & à simillimis metueret sibi; & adeo sæva, ut gravissimus auctorum loquitur & infesta virtutibus tempora fecit, ut, cum Aruleno Rustico Pætus Thrasea, & Herennio Senecioni Priscus Helvidius, summis ingeniis summi viri essent laudati, capitale fuerit. Neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum tum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani, & libertatem Senatus, & conscientiam generis humani aboleri arbitrabatur; expulsis insuper sapientiæ professoribus, & omni bonâ arte in exilium actâ, ne quid usquam honestum & imi-

mitandum occurreret. Vobis autem potissimum, lectissimi Juvenes, spes patriæ, & ex hoc potissimum loco, & hoc maxime tempore, quod omnium difficillimum earum fere sterile est virtutum, quæ solæ ad avertendas à publicis cervicibus tot jam annorum atrocissimas calamitates requiruntur, ejusmodi, si quæ supersint, monumenta, haud aliter ac pulcherrimę imagines, ad quarum normam fingendi hic estis, & vestræ pro Repub. curæ olim exigentur, á nobis tradenda sunt. Quod igitur ad explenda ea, & quę à vobis patria cujusque ac Respub. merito desiderat, & quæ à me deinceps exspectatis, facturum judicavi, (ac ut faciat Dei immortalis, horum etiam studiorum præsidis, pacem imploro, utque is vobis mihique benignus ac propitius hic adsit) offero nunc vobis Plinium Secundum, gravissimum auctorem, & ab eo Consule, auctoritate publica, sine adulatione aut fuco, laudatum olim optimum Principem Traianum. Factum enim tum Senatuscon-

ſultum eſt, quo ex utilitate publica placuit, ut Conſulis voce, ſub titulo gratiarum agendarum, boni Principes, aliique publicarum rerum rectores, quæ facerent, recognoſcerent, mali autem, quæ facere deberent. Offero vobis quæ jam rara olim, & vix alibi ſpectanda, noſtris autem temporibus in tanta publica privataque morum corruptela, & pulcherrimarum artium ſive fatali ignorantia, ſive potius contemptu, nequicquam queruntur. Cum enim duo maxime ſint, quæ publicam perſonam ſuſtinentis magnitudinem & curam imperiorum abſolvunt, civilis ſapientia nimirum & eloquentia, divinæ profecto & cœleſtiſſimæ dotes; quarum illa anima omnium illuſtrium ac difficilium actionum conſiliorumque & norma eſt; hæc autem interpres ejus, ac, ut ſic dixerim, legata; haud alienum certe ab inſtituto noſtro eſt aut abſurdum, utrumque vobis, cum utrumque debeatis Reipub. ut jam debetur vobis, pariter hic repræſentari. Et utrumque,

hercle,

hercle, vobis conjungendum eſt, cum alterum ſine alterius præſidio ac ore tueri ſe non poſſit aut ſuſtentare. Equidem Eloquentia, maſcula illa & gravis, cum ut regina animorũ, ſicut judicat & loquitur Plato, prima ac præcipua ſemper gentium imperatrix, apud Principes & populum, notos & ignotos, amicos ac hoſtes, in caſtris, in Senatu, domi militiæque maximas olim res difficilimaſque, quibus ipſum impar ferrum erat, ſæpe confecerit; & deinceps quoque, niſi a majorum artibus plane deflectamus; confectura ſit; ita ejus vim hic omnem Plinius expreſſit, ut jam nihil habeat, quo ulterius poſſit eniti. Non ſane acrem illam & acerbam, quã tum in foro utebantur, iracundam, laterum laborumque & contentionis plenam; neque illam, quæ tum in declamatorum Scholis inter adoleſcentulos regnabat, inter amplitudinem periodorum & abruptos ſenſus inæqualem, deformem, & ad meretriculæ inſtar, ſaltitantem; neque etiam Aſiaticam illam, quæ cadente

jam imperio Romano solium quoque veteris & veræ eloquentiæ concussit, ac tandem evertit;illam in rebus exhibendis tenacem ac avaram, in verbis autem prodigam potius, quam liberalem; sed sedatam & gravem, vere civilem ac consularem. Neque est, quare id leve aut contemnendum existimetis, Auditores. Quid enim verbosa illa tantum eloquentia aliud est, quam garrula anus? Et ab eloquentia omni defecta sapientia nonne muta est & elinguis, ac velut inermis & nulla, neque suam ipsa majestatem adversus contemptum, neque suos adversus iniurias potest tueri? Atque hæc quidem Pliniana tam gravis & plena succi oratio eo etiam admirabilior, & imitatione exprimenda est, quod cum res omnes ac caussas hic ita pertractarit, ut omnibus nobilissimæ artis præceptis præsidiisque uteretur, nullum tamen scholæ, nullum affectatæ aut nimis anxiæ industrię vestigium appareret. Longe profecto aliter atque illi, qui, non interposito discrimine inter præcepta artis

ac

ac usum, in aula & apud Principes ut pædagogi aut pueri loquuntur. De argumento autem ipso, de Traiano Principe, quid dicam? Cum enim de eo deinceps plurima veniant nobis memoranda, & quotidianus iste publicæ nostræ apud vos industrię atque is quidem longe amplissimus futurus sit campus, pauca nunc suffecerint, sed ex quibus facile cætera, & ea quidem omnia augusta, id est, ab omnibus instructum & consummatum principem, Trajanum, intelligatis. Cum enim post depulsam tempestatem, quam Dominiani flagitia fœdissimam in Repub. excitaverant, ad imperium admotus esset mitissimus sanctissimusque senex Nerva Cæsar; &, quasi in novo quodam beatissimi sæculi exortu, res olim dissociabiles miscuisset principatum & libertatem, suffectus ei Nerva Trajanus auxit cottidie, ut magnus Scriptor loquitur, felicitatem imperii; nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur eo imperante assumpsit. Qui quidem cum nihil sibi ip-

se

ſe in tanto faſtigio concederet, quod quidem non omnes homines, non omnes leges Principi conceſſiſſent; ſuas libidines acrius quam aliorum cohiberet; emendaturus corruptiſſimam Rempub. a ſe ac domo ſuâ primo ordiretur; unus ſupra omnes evectus nihilominus unum ſe ex omnibus putaret, & ſic magis inter omnes excelleret atque emineret; ſaluti omnium, paci, otio, libertati conſuleret, ſicut paullo ante alii exitio & ſervituti; bello cum flagitiis priorum temporum domi geſto, & iis feliciter triumfatis, in externos hoſtes converſis armis feliciter domaret Barbaros, qui paullo ante, ignavia proximorum Principum excitati, auguſtiſſimum imperium contempſerant; & tantis geſtis jam rebus omnium judiciis maximus, non eo tamen major ſibi videretur; denique & imperium optimis artibus, quanquam corruptiſſimis temporibus, mereri, ac imperare ſe poſſe, inaudito inter Romanos Principes, &, ſi ſecuta ſæcula videatis, noviſſimo exemplo oſtendiſſet,
ac-

acclamatione publica, decreto Patrum, & quodam quasi totius humani generis Senatusconsulto OPTIMI PRINCIPIS nomine salutatus est, &, cum post excessum ejus vota hominum ac desideria juberent Principes feliciores esse Augusto, meliores autem Trajano, ejus nomen non jam ut Principis, sed ipsius virtutis celebratum est. Quibus quidem tantis, ac veris adeo, laudibus si ego meam in dicendo mediocritatem, aut potius vim prope nullam, & vocem, quam ex proximi morbi reliquiis mire nunc sentio debilitatam, submisero, nobilissimi Auditores, desiderio tamen vestro, aut fallor, ac ex me expectationi satisfactum hodie erit: qui quod debebam, & inprimis debebam vobis, quemadmodum studia omnia mea & debeo vobis & porrigo, obtuli quo nihil majus vel augustius possum, optimum & Principem & Oratorem.

MARCI ZUERII
BOXHORNII

ORATIO

FUNEBRIS
IN OBITUM
V. C L.
ADRIANI FALCOBURGII,
Medici & Anatomici eximii.

ORATIO XV.

POST mandatum igitur jam terræ optimi clarissimique viri ADRIANI FALCOBURGII cadaver, vestræ, Magnifice Academiæ Rector, & Professores. qui hoc mihi muneris injun-

junxiſtis, auctoritati; veſtræque, Conſanguinei ejus, quem jam extulimus, Neceſſarii, ac Propinqui; ſicut & veſtræ, Reverendi, Nobiliſſimi & Ornatiſſimi quotquot conveniſtis ordinis omnis ac loci, Auditores, exſpectationi; ſanctiſſimi denique atque emendatiſſimi hominis memoriæ ſatisfacere nunc ego neceſſe habeo. Quod qui factu facile exiſtimat, næ ille profecto ignorat & longe facilius eſſe ex adulationis, quod plerumque fit, ingenio fingere ac offerre aliis quod velis, quam eorum, qui non niſi laudanda omnia admiſere, pulcherrimã quaſi imaginem oratione exprimere ac repræſentare, ut & magnitudinem ſanctitatis, innocentiæ, integritatiſque vitæ ac morum, rariſſimarum hoc ſæculo, & quas, prope dixerim, cum hoc homine jam extulimus, virtutum, de quibus nunc mihi dicendum eſſe ego intelligo. Cæterum cogitanti hæc mihi omnium veſtrûm conſcientia addit animum; quæ in funebri hoc noſtro officio non jam dicam nihil falſi fictive inveniet, ſed excitatâ quaſi,

geniti. Matre adhuc infanti erepta in paternæ disciplinæ gremio puer educatus, cum non nisi sanctę incorruptæque vitæ domestica omnia exempla adolescenti se offerrent, ad virtutes omnes, eas inprimis quæ istam perficiũt ac absolvũt ętatem, modestiam, raramque quandam, & mansuram seni, sicut mansit, morum verecundiam, præcipuum cujusvis ætatis ornamentum, profecit. Is tum in illo adolescentiæ lubrico assuescere veras & incorruptas excipere animo opiniones; vera bona, & iis diversa, dignoscere; ea sola bona putare, quę revera sunt talia, ut virtutes & eruditionem; ea mala quæ sunt, ut vitia, ut, pręcipuum animi morbũ, ignorantiam recti, qua mala pro bonis, aut contra, sumuntur; rebus nihili ac vanis tãquam magnis non capi aut moveri; denique magna & eximia tanquam vilia haud contemnere. Quorum ego cum nunc recordor, redit animo meo nostrorum detestatio temporum, quibus cerea illa & mollis, ac inprimis in vitium flexilis ætas, sive perversis parentum judiciis, sive

cor-

corruptis eorumdem exemplis, ita fere fingitur, ut vitiis cum virili neque disciplinæ jam obnoxia ætate adultis, tandem non nisi deformem senectam excludat. Ita formatus domi, cum docilis jam ac capacis, mirumque in modum in bonarum litterarũ & artium studia propensi animi multam ederet significationem; traditus in disciplinam est Willebrordo & Rudolpho Snelliis, eximiis ac diligentissimis viris; quorum fidei ac curæ nobilissima tunc patriæ juventus ac spes credebatur. Inde ad patriam translatus Academiam, Romanis jam ac Græcis litteris pro ætate satis imbutus, in acquirenda pulcherrimarum ac necessariarum ad majora ituro rerum cognitione, qui tum ex his sedibus iuventuti ad sapientiam gnaviter præibant, Murdisonios, Iacchæos Merulas, aliosque duces sequutus est, diligentia tam indefessa, eaque promptitudine ingenii ac felicitate, ut jam nihil eorum ignoraret, quæ, tanquam necessariæ ad majora omnia recludenda machinæ, ad invadendam altiorum disciplinarũ

posses-

possessionem requiruntur. Admonet & hic quoque me hujus tam egregii exempli memoria, ne indicta etiam nunc aut intacta transeam, quanquam & horum alias meminerim, præcipitata eorum studia, qui tanquam trossuli, aut, si id vos mavultis, velites ac levis milites armaturæ, paucis, & quod amplius est per ignaviam, annis in his castris Musarum exactis, jam tanquam veterani, tanquam post duras hyemes ac exercitas æstates, nescio quo titulo, vel sperare vel petere etiam audent missionem. Miseret me profecto & Ecclesiæ pariter & Reipub. quarum tribunalia & ambones, nisi obtorto veluti collo meliora & majorum, ac hujus quoque, quem nunc laudamus, exempla tanquam a fuga retrotrahamus, brevi profecto non nisi cruda studia ac inscitia implebunt. Liberalium porro scientiarum bonarumque artium & linguarum commeatu hoc abunde jam instructus Falcoburgius de majore, cui se dederet, & cui profutura omnia jam edidicerat, disciplina serio cogitare cœpit.

Circumſpicienti autem ſingula inprimis Theologia ſe commendabat; & quod caperet eum majeſtas rerum ac uſus, quæ in ea traduntur, & quod iis jam inſueviſſet moribus, præceptis, ac exemplis, in quibus non niſi ſancta omnia, & à petulãtia ſæculi ac ineptiis & ambitione aliena exhibebantur. Neque ſane alios diſciplinarum omnium ſcientiarumque regina hæc ac princeps admittit, quam integros vita & incorruptos, prȩſertim futuros Eccleſiæ præſides ac doctores, & illecebrarum ſæculi ignaros, &, ut præſcribit ac loquitur ipſa, mortuos ſæculo, ac tanquam regenitos, & cæleſti quadam ſimplicitate, quorum hæreditas ac peculium cœlorum regnum eſſe dicitur, velut infantes. Qualem profecto Falcoburgium & tunc & deinceps, ad ipſum uſque exceſſum, fuiſſe conſtat. Quam diverſæ ab iſtis, Auditores, viæ eorum ſunt ac deſtinationes, qui ad Eccleſiæ magiſterium nihil fere conferunt præter infinitam nec neceſſariam libidinem diſſentiendi, & deteſtandam, quâ non Chriſti, ſed ſæ-

culi

culi se esse ostendunt, ambitionem? qua inter dubia mirum in modum nunc auctarum, ac incerta, quæstionum, nemo fere dissentire ab eo audet qui regnat; & jugum, quod leve esse & suavissimum dixit ille qui imposuit, gravissimum conscientiis hominum offertur? De iis autem ego hic loquor, quibus præesse, ut oportet, Ecclesiæ, nihil aliud est quam regnare; cum ego acceperim esse id Ecclesiæ gregi, ejusque commodis, quo magis magisque, quod quotidie precamur, Patris regnum adveniat, inservire. Cæterum Falcoburgio, tanta jam animo destinanti, fatalis quædam aut hominum, aut temporum mutatio, adeoque quoddam quasi sufflamen oblatum est. Invitus autem Reipub. hujus ac Ecclesiæ vulnerum, sed quibus obductę jam sunt cicatrices, ego hic cogor meminisse. Reformatorum in Belgio nostro Ecclesia, nescio quo fato, sed haud dubie justissima quadã ira Dei immortalis in res nostras, gravissimarum & mirum in modum perplexarum quęstionum, de Prædestinatione,

Constantia sanctorum, aliisque ejusmodi, quæ & veteris Ecclesiæ pacem fœde olim turbaverant, pondus diversis, ut fit, judiciis, multisque animorum motibus, exceperat; plerisque ignorantibus & ex abditis istis ac mysteriis tutius quædam ac sanctius ignorari, & anxiis ejusmodi disquisitionibus optimum finem cœlestissimo stupore magni illius gentium Doctoris Apostoli imponi; *O profundas divitias tum sapientiæ, tum cognitionis Dei! Quam imperscrutabilia sunt ejus judicia, & viæ ejus inpervestigabiles! Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio?* Accedebat, quod ex initiis istiusmodi motuum, quomodo prudentes solent, consequentia cerneret, principia & caussas rerum videret, earumque progressus, & quasi accessiones, non ignoraret, similitudines contenderet, & rebus præsentibus adjungeret atque adeo annecteret futuras. Harum igitur tot tantarumque nunc turbarum terror ac magnitudo, ut aliud studiorum genus sibi seligeret, FALCOBURGIO persuasit. Non sane

ſane quod ſacrarum & tantopere cuivis Chriſtiano homini neceſſariarum expendendarumque quotidie rerum tractationem negligeret, ſed quod de conſequendo aliquando in Eccleſia magiſterio cogitare poſthac deſineret; ſequutus in reliqua omni vita magni Pauli graviſſimam adhortationem; qui, poſt egregiam illam & anxiam, ſed pudicam & verecundam, de Judæorum reprobatione, de electione gentium, aliiſque, diſquiſitionem, *Peto*, inquit, *a vobis, fratres mei, per miſericordias Dei, ut ſiſtatis corpora veſtra victimam vivam, & ſanctam, & acceptam Deo per miniſterium rationale. Et ne conformetis vos ſæculo huic, ſed mutemini per renovationem mentium. Dico autem per gratiam, quæ data eſt mihi, ne cogitetis, præterquam quod convenit ut cogitetis; ſed cogitate in ſobrietate, unuſquiſque ſicut partitus eſt ei Deus fidem in menſura.* Sic ergo tunc factum eſt, ut ad Medicinam animum appelleret; cujus quanquam difficile & late diffuſum ſtudium non ignoraret, ac inter prima ſtatim ejus rudimenta excepiſſet magni illius ex Cöo Senis veriſſimum, ſed

ſed quod in primo ad hęc ſacra aditu confidentiſſimum etiam terrere ac dejicere poſſit, oraculum, Artem longam eſſe, vitam brevem, & experientiam difficilem; ſimul etiam conſtantis diligentiſq; hominis induſtriæ ac ſolicitudini nihil invium, nihil inacceſſum eſſe, reputavit. Domi igitur, & ſuus ac ſolus, aſſumtis velut in contubernium, tanquam ipſis, eorum hominum antiquis & recentioribus monumentis, qui hujus ſcientiæ ſacra recluſerant, ex plurimis pauca & meliora ſelegit, quæ quotidiana lectione velut ediſceret, alia quæ ſubinde tantum conſuleret, nonnulla denique in quibus feſſum fatigatumque animum, ſed non inutili amænitate, reficeret velut ac recrearet. Quippe ut negotia omnia quodam velut liberali otio diſtinguenda eſſe acceperat, ita in tanta vitæ hominum, etiam longiſſimæ, brevitate, & vaſtiſſimo illo rerum, quæ ſapienti cognoſcendæ ſunt, ambitu, ſui ſibi etiam otii rationem ac uſum fructumque conſtare debere exiſtimavit. Qua judicii ſeveritate ſupra deſidiam eorum

rum ac ignaviam longe profecit, qui de brevitate vitæ queri malunt, & interim voluptatibus ac ineptiis dediti quasi in diem vivunt, ac, quomodo gravissimus auctorum eleganter loquitur, vivendi caussas quotidie finiunt. Neque enim amorem tantum & prolixam animi propensionem, sed, quod rarissimum est, sollicitudinem quoque, qua nihil negligendum & omnia necessaria putabat, ad eorum, quibus jam totum dediderat sese, tractationem studiorum conferebat. Medicinæ inprimis: cujus peritiam qui profitentur quales quantique esse debeant, ipsi etiam veteres & severi illi juris Romani auctores nos non sinunt ignorare. Cum enim placeret judicem, perperam ex imprudentia judicantem, ex vero delicto, ut loquuntur illi, non obstringi, quod judex non tam professione jurisprudentiæ quam publica auctoritate constituatur, etiam invitus, disertim cautum exstat, medicum male per imperitiam secantem aut curantem, ex vero delicto obligari,

& lege Aquilia teneri. Quanquam enim imperitia per se culpa non sit, in eo tamen qui peritiam alicujus rei profitetur, culpa esse judicatur. Hæc judicii rectitudo utinam omnium eorum animis sederet, qui, capti solâ inertiæ dulcedine, quales non sunt non tam esse volunt, quam videri; qui quem fecere studiorum, ut sic dixerim, abortum, tanquam omnibus absolutum partibus consummatumque fœtum amplectuntur. Nec intra Musei gratissimam illam, & si eos omnes, quos adibat quotidie ipse & consulebat, tanquam spirantes adhuc & superstites in iis, quæ tradiderunt posteris, monumentis, videres, frequentissimam solitudinem ac umbram, se continuit; sed & in iis audiendis assiduus ac frequens fuit, quos, Pawios, inprimis, Vorstios, Heurnios, Bontios, publicos artis medicæ doctores, eximios excellentesque viros, hæc tunc Academia habebat. Et agnoscebat in omni illa publica auscultatione (quod eorum potissimum jam caussâ dicendum est, qui privatam sufficere lectionem arbitran-

bitrantur) lucis plus sibi ac commodi offerri, & quod laxior plerumque ac diffusior, & velut interpretis quoque sit, differentis, quam scribentis oratio; & quod congrua ori dicentis actione non auditu tantum sed & visu audientium occupatis, facilius haud dubie & certius omnia memoriæ hominum tradantur. Neque sane alia majoribus persuasit ratio, ut impensis maximis ac laboribus, suffecturis ingeniis undique certatim excitis, ejusmodi, qualis ista, & alibi similes al'æ sunt, publicas Musarum sedes conderent passim atque excitarent, quam ut & diserto effusoque, ac, ut sic dixerim, copioso ore peritorum earum rerum, quarum scientiam profitebantur, inque iis diu multumque jam exercitorum, & consortio colloquioque ad ejusdem invadendam scientiæ possessionem contendentium, singularis ac privatæ, ideoque difficilis, & sic sæpe impeditæ hæsitantisque lectionis tædium tolleretur. Præcipuum haud dubie ac velut primum in studiis est, ordinem studiorum ac, ut ille loqui-

loquitur, viam non ignorare. Qui autem vel planam magis, vel minus impeditam, vel certiorem pariter ac breviorem offerre possunt juventuti, quam qui ex aviis jam omnibus & inviis, adeoque ambage omni & non necessario circuitu priores ac difficulter eluctati, & ad eruditionis fastigium, & ad judicii in his rectitudinem jam profecere. Quemadmodum autem omnibus, quæ perficiunt medicum ac absolvunt, ita cadaverum dissectione & Anatomicis demonstrationibus, id est, oculatâ ea fide, qua humani corporis admirandam illam fabricam ac structuram, in magnun hominum usum, cognoscimus, potissimum capiebatur. Ejusmodi exercitiis, votis ille & desideriis semper, &, quoties dabatur, oculis interesse; neque minore voluptate observare artificem dextram secantis, quam illi ad magnatum epulas vocati,

Quo gestu lepores, & quo gallina secentur.

Quippe quasi Ædilitium quoddam Medici munus huic esse merito videbatur. Sicut enim curæ Ædilibus erat apud Romanos,

nos, regiones omnes urbis circumire, vias omnes ac vicos, anfractus viarum ac circuitus omnes, Tiberis elices omnes & aquæductus, cloacas omnes, privata etiam singulorum ædificia, inspicere ac curare, sistere alibi stagnationes aquarum & impedire; pedorem prohibere ubique ac sordes, & nitorem imperare, quo sic & ornatus urbi & salubritas habitantibus maneret, ita profecto ad Medici inprimis curam attinet, non modo externā illam humani corporis formam ac speciem, sed vitalia quæ intus latent omnia, & prope infinita sunt, materiam singulorum & formam, & situm, & origines, & terminos ac fines, fulturas omnes, stationes omnes ac sedes, munera denique omnium & partes, cognoscere, ad agrimensoris instar in brevi quidem illo, ut sic dixerim, sed admirabili nec exprimenda facile varietate distincto naturæ campo longitudinem singulorum, & latitudinem, & altitudinem, & actus in iis & iter, & alias, non jam dicam urbanorum aut rusticorum prædiorum,

ſed quas natura imperavit ſingulis ſervitutes, illos ſanguinis & venarum perennes fluxus omnes ac meatus, omnem humorum in iis varietatem, cauſam eorum omnem ac efficaciam, valvas eorum omnes & cuſtodias, ſpirituum omnium exortus & vias, iliorum flexus omnes, & ambitus, & exitus, cubilia quaſi morborum omnium ac ſpelæa, nervorum tot vincula ac nexus, oſſium omnem compagem, ſepem, numerum ac dimenſiones, ac immiſſos veluti tignos coſtarum, & quæ ejus generis alia ſunt, (ſunt autem plurima, nec jam dicenda nobis omnia) ut & alia, quatumvis exilia, ſollicite explorare. In quibus qui nimis anxiam eſſe poſſe medicorum diligentiam exiſtimat, næ ille ignorat & minimæ etiam hic rei ignorantiam totius nonnunquam corporis exitium poſt ſe trahere; & crudelem illam quidem in horum indagatione, ac prope dixerim inhumanam, ſed utilem tunc hominum generi creditam ac neceſſariam, ſubtilitatem antiquorum, qui cum in cadavere

ſub-

ſubtrahi nonnulla ac ſubduci rimantium oculis obſervarent, auſi ſunt facinus, quod mihi, qui ad ejus memoriam totus animo percellor, ob atrocitatem magis deteſtandum, quam ob uſum, quem tamẽ magnum habuit, commendandum videtur. Quippe reorum quidem convictorumq; capitalium rerum, & ſervorum, hominum tamen, & viventium, diſcerpta in particulas corpora, ſpectantium oculis ſubiecere. In cognoſcendo autem hoc compendio quaſi quodam totius ſollertiſſimę liberaliſſimæq; naturæ rerum, ac quodam velut regno, quam aſſiduus ac felix FALCOBURGIUS fuerit, cognitum, cum ex auctoritate & graviſſimo eorum, qui rebus hic noſtris veſtriſqne, Auditores, præſunt, judicio, collega tandem datus Othoni Heurnio, viro paternis & meritis & ſtatione, quam feliciter implevit, clariſſimo, Anatomicorum ejuſmodi ſpectaculorum velut locupletiſſimus munerarius jam ipſe, ut cum Romanis ſic loquar, ac liberalis editor, quibuſvis fere vertentibus annis, ad

opus,&pulcherrimum,& ita exſtructum ut & in cætera dominari animantia, & conditorem ſuum auctoremq; ſolum ex omnibus poſſet agnoſcere, cum admiratione ac ſtupore ſcrutaretur; eximium quoque tunc verecundia, ut oportet, ac prope ſingularem, quæ tamen exſpectationi ac commodis ſpectantium nihil ſubduceret; denique neque ignorantem, neque diſſimulantem quidquam eorum, quæ ex defuncti jam hominis cadavere uſibus ſuperſtitum poterant offerri. Voto ille ſemper ac deſiderio in cadavere eſſe, ac velut habitare; oblatum ac diligenter inſpectum ægre & tanquam invitus efferre; nonnunquam, cum hominis deeſſet, bruti, in quo aliqua ſtructuræ cum humano corpore convenientia, pari alacritate & incredibili indagandi omnia ac circumſpiciendi ſtudio, exhibere. Memini ego ex India allatum, & in corte ampliſſimi rerumque naturæ peritiſſimi Viri, IOHANNIS LATII, exſtinctum, publice ac dextre inprimis ab eo diſſectum. Cujus undiquaque lau-

datissimi hominis, quem & superiore anno mæsti extulimus, cum obiter tantum meminisse ego hic debeam, id solum, donec alius celebrandis eximiis ejus virtutibus locus se offeret, nunc dicere necesse habeo, quod qualiumcunque meorum studiorum in Germaniæ nostræ latentibus aut admodum obscuris antiquitatibus novâ nec cuiquam trita hactenus, unica tamen & certissima via deprehendendis, ostendendisque sæculo, socium ego in eo ac testem amiserim. Neque in theatro tantum, in quo spectaculo ac admirationi inprimis ipse erat, sed & quotidie ex Academiæ suggestu cranium aliquod, tibiam aut os aliud, exhibebat, ut quod auribus satis non poterat, oculis caperetur. Talis tantusque, & tam sollicite, in hac Academia per annos plures docuit. In quibus nunc ea, quæ optima est, fide dicendis ego dum sum, iterum, neque falsus, intelligo, justissimam mihi, harum imperito rerum, cum de peritissimo verba facienda sint, hanc demandatam mihi provinciam recusandi

ac

ac necessariam rationem fuisse. Cæterum neque voluntati vestræ ac imperio, Magnifice Rector, IACOBE TRIGLANDI, & Clarissimi Professores, obluctari mihi licuit; & publicorum tunc hujus Academię commodorum caussa ab urbe aberat ADOLFUS VORSTIUS; qui ut aliarũ, quibus excellentes perficiuntur animæ, rerum, ita hujus inprimis peritissimus, totum & integrum, & regnantem quasi in iis quę diximus virum, potuisset exhibere. Me interim non jam dicam excusabit, sed haud dubie absolvet judicii mei pietas, quæ nihil, quantumvis minus ac impar, celebrandis eorum virtutibus negandum existimat, qui in duraturum mansurumque posteris exemplum vixere. Vos enim, qui forte ad celebritatem viri ac commendationem adjici jam nihil posse existimatis, nescitis profecto, id quod omnium maximum ac præcipuum est, dicendum hic mihi restare; puram, qualis quantaque in hominum rebus dare se potest, castamque defuncti mentem; integritatem morum ac inno-

centiam, a plerisque & majoribus sęculi vitiis intactam; hominem denique non jam dicam probum & integrum, quæ magnarum quidem virtutum, cæterum pervulgata jam & plerumque prostitúta adulatione sunt nomina; sed quem rarissimo adeoq; paucis hodie tribuendo vocabulo, emendatissimum ego iterum & debeo & audeo appellare. Ad quarum magnitudinem virtutum non bonitate tantum indolis, aut paternæ præceptorumque disciplinæ sanctitate, sed vitio etiam, cęterum corporis, admodum profecit. Vix annos, ut accepi, viginti nato hebetior & nonnunquam impeditus esse cœpit aurium sensus; hæreditarium quasi & a patre acceptum malum. Quo aucto cum ętate ac adulto quędam quasi, quanquam in hominum cætu, & imperata ei & amata est, & non ad sanctitatem tantum vitæ incorruptæ, sed & ejusdcn constantiam, plurimum profuit solitudo. Ex qua ipsum nunc virum, & non nisi sanctissimis cogitationibus immorantem, utinam nunc mihi idonea oratione apud

vos

vos producere liceret! Offerunt sese hic mihi & sufficiunt Plinii Consulis verba; qui ex Laurentino suo, quo secesserat, ad Minutium Fundanum; Mirum est, quam singulis diebus inter strepitum istum inanemque discursum, & multum ineptos labores, in urbe ratio aut constet, aut constare videatur, pluribus autem non constet. Nam si quem interroges, Hodie quid egisti; respondeat, Officio togæ virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit. Hæc quo die feceris, necessaria; eadem, si quotidie fecisse te reputes, inania videntur, multo magis cum secesseris. Tunc enim subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpseris. FALCOBURGIUS, quanquam ab aurium sensu defectus, & sic solus fere, nihil sibi deesse, imo ad eam quæ vera est felicitatem multa superesse judicavit, cum sic plerumque esset suus; cum corporis illud vitium ani-

rectam synceramque vitam! O dulce otium honestumque, ac pene omni urbano & forensi negotio pulchrius! O verũ secretumqueMuseum! Quam multa queritis, quam multa invenitis? Scio ego & agnosco, etiam esse hanc Philosophiæ & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere & exercere justitiam, queque sapientes docent in usu habere; mihi tamen hoc unum nemo persuaserit, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos honestissima meditatione consumere. Cæterum cum nonnunquam contingat, ut qui in ejusmodi quadam solitudine agunt, se contemnant quia neminem verentur, adeoque vivant negligentius, hic semet ipsum quoque & solum reveritus, quod necessarium etiam est & pulcherrimũ reverentię genus, omnium eorum quæ faceret rationem magna judicii severitate a se ipso semper, & velut suorum ipse censor morum, exegit. Pietate in Deum, & innocentia prope singularis; in re domestica modestus ac

frugi,

tudinem videat, nunc quoque in eximii Medici ac Anatomici, eoque nomine per Italiam, Galliam & Germaniam longe clarissimi, excessu incredibilem jacturam facit. Neque tamen propterea, Ornatissimi juvenes, despondete ego animum vos velim. Sunt hic impositi curandis promovendisque Academiæ & vestris adeo commodis ac rebus, quorum ut sollicitum de vobis est judicium, ita anxium quoque in iis undique seligendis & quasi seponendis sibi, in quibus vos desiderandum nihil haberetis; qui post COCCEJOS & KIPEROS, excellentes haud dubie viros, TRIGLANDIIS, HEIDANIS, HEVRNIIS, VORSTIIS, de quorum ingentibus meritis, quæ quotidie agnoscitis, nihil mihi ultra dicendum est, socios laborum ac collegas proxime datos, de aliis quoque jam cogitant, qui FALCOBURGIORVM, & si qui alii subducti nobis sunt, vestigia pari & eruditione, & fide, & in vos amore, pressuri, recrea-

bunt

bunt feliciter aut reddent Academiç nostræ soles; & hanc ejus solitudinem orbitatemque, post tot jam magnorum hominum funera, solabuntur. Nostrum interim, vestrumque inprimis erit, Egregii juvenes, rara eorum, quos proxime & nunc extulimus, exempla, quæ & quædam quasi immortalitas iis, & vobis velut amplissima quædam ex iisdem hæreditas erunt, intueri semper ac imitari.

FINIS.

ERRATA.

PAGINA. 54. l. 10. *imminebant*. P. 75. l. 21. dele *se*. pag. 78. l. 4. *nullas ad avertenda opes, certissimam pacem*. pag. 87. l. 2. *tot annorum*. p. 96. l. ult. *majorum exemplo, quibus*. p. 138. l. 13. *amplexus*; & paulo post; *ad cultum Græcorum*. p. 151. l. 19. *a quibus*. p. 162. l. 17. dele, *inter*. p. 166. ante inscriptionem inserendum est nomen proprium Legati, FRANCISCO MICHAELIO. p. 170. l. 14. *Italia Dominici*. Restant multa alia; sed repetere lectione omnia jam non vacat. Ejusmodi autem futura illa speramus, ut benevolus & candidus lector per se facile emendaturus ea sit.

FINIS.

